

~~PM 42.~~

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

II 221.

SIGNAT. CLVCCCXIII.

2 4

BIBLIOTHECÆ SIVE CYNOSU-
RÆ PEREGRINANTIVM,

hoc est,

VIATORIJ
LIBER SECUNDUS,

Partis Posterioris:

complectens

HISTORIOGRA-
PHIAM APODEMICAM,

lectu jucundissimam, usu fructuo-
sissimam.

*In gratiam Peregrinantium
conscriptam*

à

DAVIDE FROELICHIO,
Sac. Cæs. Rq; Majest. per Regnum
Hungariæ Mathematico.

MDCC

VLMÆ,

Impensis VVOLFGANGI ENDTERI,
Exscripsit literis BALTHASAR Kupner/
Reipubl. ibid. Typographus.

ANNO M. DC. XXXIV.

TABLETTE DE NIVE CYGNE
DE
MONTMANTON

TABLETTE
DE NIVE
CYGNE

TABLETTE DE NIVE
CYGNE

TABLETTE DE NIVE
CYGNE

TABLETTE DE NIVE
CYGNE

104

S
P

104

a
in





ILLUSTRI DOMI-
NO, DOMINO

SIGISMUNDO JOSE-
PHO, *Lib. Baroni à Spang-
stein, Domino in Waisenberg &
Mittertrüxen &c.*

Domino Domino Mecana-
ti suo gratioso,

DAVID FRÖLICHIIUS
Deum propitium vovet.

Hacundus Comes, Il-
lustris Baro, ac Gra-
tiose Domine, *in vi-
a, pro vehiculo est, ut dicitur
in paroemia. Hujus enim dul-*
VI.) (I cisfi-

cisfimis sermonibus lenitur
itineris, molestia, præsertim,
si tempus tædiosum ejusmodi
moralibus Historiis Viator il-
le fefellerit, quæ plurimum
momenti ad peregrinationes
felicius cōtinuandas afferunt.
In hunc itaque finem *Histo-
riographiam Apodemiam*
conscribendam censui. Cogi-
tanti autem mihi de Patrono
idoneo, cui hunc meum labo-
rem nuncuparem, ex multis
I. T. mihi præcipuè occurre-
bat, eò quod Deus illi talem
tribuerit mentem, ut procul
dubio nihil utilius, nihil ho-
nestius lectione Historica du-
cat.

ur
m,
di
il-
m
es
at.
o-
m
ri-
no
o-
is
e-
n
al
o-
u-
t.

cat. Ea enim magistra vitæ
nostræ, per eandem ad provi-
dentiam, patientiam, mode-
stiam, ad omnes denique vir-
tutes animi hominum maxi-
mè concitantur. Addo præte-
rea, quod Historiarum crebra
enarratio juvenem facundio-
rem reddat, eiq; majorem fa-
vorẽ apud quosvis conciliet.
Accipiat itaque Ill. T. opel-
lam hanc meam sereno vultu,
meaque studia ita sibi com-
mendata habeat, quo in dies
magis de tanto Patrono mihi
gaudere dignisque encomiis
ejusdem laudes, ore ac stylo
frequentius celebrare queam.
Vene-

Venerabile Numen Ill. T. quã
diutissimè sospitem, floren-
tem atque beatam conservet,
ejus cogitationes, profectio-
nes & facta cuncta ita prospe-
ret atque secundet, ut ea in
proximi emolumentum, pu-
blicum incrementum, suæque
Illustri Familiæ laudẽ peren-
nem vergat. Cæsareopoli
ad alpes Carpathicas Hungar.
II. Jun. Anno Salutis 1644.

Partis Po



Partis Posterioris
VIATORII LIBER II.

referens

HISTORIAS MORALES,

usui Peregrinantis potissimum
accommodatas, viæque tædi-
um eidem fallentes.

1. *Ad amicos & notos potius, quam ad cau-
ponem ignotum divertendum; nec somnia
que vis in itinere contemnenda
esse.*



Vo familiares Arcades iter una fa-
cientes Megarâ venerunt: quorum
alter ad hospitem se contulit, alter
in tabernam meritoriam divertit.
Is qui in hospitio erat, vidit in son-
niis comitem suum orantem, ut sibi
cauponis insidiis circumvento subveniret, posse e-
nim celeri ejus accursu se imminente periculo sub-
trahi, quo viso, excitatus profiluit, tabernamque
in qua is diversatur, petere conatus est. Peltire-
re deinde fato, ejus humanissimum propositum
tanquam supervacuum damnavit, & lectum ac

somnum repetiit. Tum idem ei saucius oblatus oblectavit, ut qui vitæ suæ auxiliū ferre neglexisset, necis saltem ultionem non negaret: corpus enim suum à caupone trucidatum, tum maximè plastro ferri ad portā stercore coopertum. Tam constantis familiaris precibus compulsus, protinus ad portam cucurrit, & plastrum quod in quiete demonstratum erat, comprehendit, cauponemque ad capitale supplicium perduxit. *Val. Max. lib. 1. cap. 7. ex Cic. lib. 1. de Divin.*

2. *Magnos viros decet hospites suos atque peregrinos magnificè excipere & remunerari.*

Alfonsus Rex eos qui ad se divertissent, non solum accipiebat liberaliter ac splendidè, verum donis quoque magnificentissimè prosequabatur, pro cuiusque dignitate nullum adeo honestandi ac munerandi genus omittens. *Pont. cap. 18. de magnificètia.* Idem Oratoribus populorum aut Regum, tum claris viris ad se publico aut privato nomine venientibus, ædes exornari jubebat: & victum quandiu apud se essent, lautissimè ministrari, nec nisi egregiè à se donatos abire. *Id. Pont. de Liberal. cap. 10.*

3. *Præclaris viris vel invitis sese tempestive insinuandum.*

Anacharsis Athenas philosophandi gratiâ perrexit, excitatus, præcipue Solonis famâ, qui sapientissimus per universum terrarum orbem tunc habebatur. Et cum primum in urbem ingressus est, rectâ ad illius ædes accedit, jubetque fores de more pulsari, adest puer, ecquid velit rogat. Tunc ille: *Dic hero, inquit) Anacharsin præ foribus esse, qui ejus*

congressum atque hospitium rogat. It puer mandata hero perferens. Tum Solon: *Refer inquit) peregrino in propria patria ac domo querendos esse hospites, non alienâ.* Hoc cum accepisset Anacharsis, domum audacter ingreditur, dicens: *at nunc in patria sum, & ad me pertinet hospites facere.* Hanc loquendi urbanitatem admirans Solon, hospitem admisit & deinceps cum eo conjunctissimè vixit. Hujus sapientis Philosophi monitis docemur, prius oportere hospitem accipere, quam ei gratias referre. Est enim animi ingenui aliis potius gratificari, quàm beneficiis affici. Id quidem superantis est, hoc autem superati. Sed si quis beneficio antevertit in referendâ gratiâ benignitatem, illius ut vincas oportet, nisi liberalitate inferior, omnino esse velis. *Diogenes Laert.*

4. *Cibos in Diversorio ad palatum non satis præparatos quandoque tolerandos esse.*

Gratus fuit hospitibus suis Iulius Cæsar, & præter cæteros Imperatores omnes hospitalia iura servavit, non modo in rebus maximis, verum etiâ in minimis, ut ex hoc exemplo patere potest. Cœnabat aliquando Mediolani apud hospitem quendam suum Valerium, Leonem, nomine, & cum ei Asparagos apponeret, illos non oleo, sed unguento quodam perfuderat: Cæsar tamen dissimulans, ne hospitem perturbaret, nihilominus comedit: sodales vero reliqui stomacho commoti illos respuebant, hospitemque increpabant, & gravibus objurgabant verbis. Tum Cæsar: *Abstineat inquit, qui non probat. Rusticus est enim, qui hanc rusticitatem perferre nescit.* Quibus ex verbis docuit, levia amicorum, hospitemque peccata ferenda, ac non culpanda esse. Non dissimilem modestiam

nam ostendit Antonius Cæsar cognomento Pius. Nam cum domum Omuli divitis ac fortunati hominis intrasset, mirareturque Porphyretici marmoris columnas, rogavit, unde illæ advectæ essent: tum Omulus commotior, morosiorque factus, horridiore vultu ac voce ait: *Cum alienam Domum ingrederis, mutus ac surdus esto.* Tulit amici mores æquo animo clemens & placidus Imperator, qui tantæ virtutis fuit, ut jure optimo cum Numa Pompilio ab optimis civibus compararetur. *Greg Richt. Ax. Oecon.*

5. *Loca in quibus peccata impunè grassantur vitanda, nec in iis diu persistendum.*

Stratonicus Muficus, quæ egrederetur Heracleam Civitatem, portas ac mœnia circumspiciebat. Percontanti verò cuidam, quid circumspiceret? Pudet, inquit, si videar exire è lupanari: notans corruptos eius mores. *Sunt ejus nominis civitates multe: sed de Heraclea Thraciæ sensit, opinor Erasmus b. Apoph.*

6. *Magnorum Virorum loca Natalitia curiosè investiganda, observanda, magnificienda.*

Alfonsus senior, Calabriae Dux, victo captoque Antonio Caldora, cum exercitu Pelignos profectus, cum pervenisset in locum unde Sulmo poterat dispici: percunctatus, an ea, ut ferretur, Ovidii esset Patria? & qui aderant affirmassent, urbem salutavit: gratiasque Genio loci egit, in quo tantus olim Poeta genitus esset. De cujus laudibus cum non pauca differvisset, tandem famæ ejus magnitudine commotus: Ego inquit, huic regioni, quæ non parva regni Neapolitani, nec con-

tem-

temnenda pars est, libenter cesserim, si temporibus meis datum esset, hanc poetam ut haberent: quem mortuum pluribus ipse faciam, quam omnem Brutiorum ditionem, *Pontanus de Principe.*

7. *Bestiis opem nostram implorantibus succurrendum, quo promptius & illæ nos, necessitate exigente, defendant.*

Feritate insigni inter brutæ omnes Pantheram putant: & tamen à Demetrio Physico traditum est, cum in fossam Pantheræ catuli cecidissent, matrem in celebrem viam profectam, cum hominem conspicata esset, qui Philenis Philosophi parens fuit, leniter, ut poterat, mordicus apprehensâ ejus veste, ad locum in quem catuli conciderant deduxisse. Et quæquam vir ille haud levi timore tenebatur, tamen qui aliter non poterat, ad locum pervenisse: ubi statim causam agnovit, quæ feram, ut eum illuc deduceret, impulerat. Itaque ei catulos è fossâ eduxit: cujus meriti ut gratiam referret, per totum illud iter hominem profecuta, ab aliis eum feris hostibusque defendit. *Julgos. lib. 5. cap. 3.*

8. *Deum hospites inhumanos debitâ pœnâ afficere solere.*

Lycaon Arcadiæ Rex, eo quod hospites trucidaret & Iovi mortalis peregrini specie membra humana epulanda daret, ab eodem in lupum mutatus est, & à suis canibus in venatione discerptus. *Volat. lib. 16. ex Mach. 12.*

9. *Circumspectionem in hospitibus esse adhibendam, rationemque vitæ suæ habendam.*

Faunus Rex ex Mercurio natus, patri hospites

immolabat. A quo cum Hercules, dum Geryonis boves per Italiam duceret, hospitio susceptus esset, Herculem quoque pro more invasit. Sed Hercules viribus magis valens, eum confodit. *Ex Dercyllo libr. 3. rerum Italicarum, & Plutarcho cap. 22. Parallel.*

10. *Literas commendatorias, non semper nec apud quos vis esse necessarias.*

Quidam petiit ab Agefilao, ut se ad hospites & amicos suos Asiaticos literis commendaret, quo apud illos jus suum consequeretur, respondit: Nihil esse opus literis commendatitiis, nam mei, inquit, hospites sua sponte quæ justa sunt faciunt, etiam si illis non scripsero. Apud bonos in bona causa supervacua est commendatio, quum ipsa res impetret quod precibus exoraretur. *Plut. in Laconicis apoph.*

11. *In Hospitio ingurgitationem cavendam esse.*

Ptolomæus Abobi filius, Præfectus Hierici, Simonem Macchabaëum filiosq; ejus Mathathiam & Judam hospitio suscepit, honore affecit, multoque iuxu apparatus convivium dedit; Cæterum cum pasti potique essent, crapula gravatos ac semisomnes cum armatis subsessoribus repente invasit, oppressit, occidit, mensas cruore illorum foedans quos tam benignè invitaverat. *Marul. lib. 3. cap. 6. ex 1. Mathabæorum.*

12. *Consilia parentum non esse negligenda.*

Theseo in Cretam ad Minotaurum naviganti, Ægeus pater Athenarum rex præceperat, ut si confecto monstro incolumis rediret, ad lætitiæ argumentum albis uteretur velis, ut prospectantibus
è por-

APODEMICA. 7

è portu amicis superstitis vitæ fidem præstaret. Theseum tamen caput oblivio mandati. Propterea cum iisdem (quibus venerat) remigraret velis, fecit ut pater nihil de filio sibi promittens, è scopulo in mare se deturbarit, & aquis novum imposuerit nomen. *Plutar.*

13. *Deum homicidia mirabiliter nonnunquam patefacere.*

Ibycus Poëta à latronibus correptus spe prædæ, dum cultros jugulo vidit instare præter volantes grues obtestatus est. Aliquanto post tempore, dum homicidæ sederent in foro, rursumque grues supervolarent per jocum inter se susurrabant in aurem. *Adsunt Ibyci ultores.* Quo sermone audito homicidii suspectos habuerunt, qui audiverat, correptosque tormentis ad verum coegerunt. Atque re comperta, scelus ulsi sunt. *Ausonius:*

Ibycus ut periit, vindex fuit altivolans grus.

14. *Non facile quorumvis minis cedendum esse.*

Homo quidam facetus & falsus, quum certi alicujus negotii, conficiendi causa peregre proficisceretur evenit, ut cuiquam fortè fortuna in femita ita arcta & angusta obvius esset, ut alter alteri via cedere necesse haberet. Ut vero ne ille huic locum dare cogeretur, cum militarē mox quandam ferociam præsefert, tum vero horrifico minacique vultu, ac ore tumido, hæc in verba erumpens, ipsum exterrit & repellit. *Apage sis mihi de via furcifer, aut ita te equidem tracta vero, ut hesternus ille à me acceptus tractatusque fuit.* Quid fit? Hic quidem & vulticulum istius videns ac reformidans, & inexpectatum hanc insolentemque compellationem

audiens, ita mediisfidius exanimatur, ut propè
 corrueret. & loco illi è vestigio cederet, & sic se-
 cum mustitaret: Ne hic foenum in cornu habet: &
 quin hominem aliquem è medio heri sustulerit,
 dubitari me herculè non potest: suo sese utique
 iudicio veluti forex prodit, ac me quoque perinde
 ut hesternum illum, haud dubie mulctasset nunc
 morte, ni ei actutum concessissem. Sarius igitur
 fuit nebuloni cedere, quam ab eo cædi, commu-
 nique hac luce privari, ac morte deseri. Interea
 vero dum toto corpore tremens, hac ita secum
 mustitat, ecce tibi conspicatur alium quempiam
 eminus peroportunè advenientem. Quamobrem
 gaudio non parvo perfusus, paulatim sese colli-
 git, animumque inducit, istum cum revocare, tum
 vero interrogare, ecquonam modo hesternum il-
 lum accepisset. Spes enim nonnulla hominem
 tenebat, futurum, ut cædem se fecisse diceret, at-
 que malum sibi ipse, veluti turdus cacaret. Pro-
 inde conversus ad illum, qui aliquousque jam
 processerat, in sinuque gaudebat, quod miserum i-
 stum cum nudo aspectu, tum verò vanis minis at-
 que adeo umbra sua contreruisset, de viaque pro-
 pulsasset, voce quantâ potest maximâ clamat: he-
 us bone vir, heus, heus inquam, cedo mihi quæ-
 so, quomodo hesternum illum tractasti? tum ille
 aliquantisper regressus, propiorque jam ei factus,
 ridenti ore inquit: Iste hesternus, nescias, mihi
 nolebat cedere: Itaque ego cedebam ipsi, itidem
 facturum tibi, ni Æacidinis meis minis pueriliter
 fractus, pudenda cessione, præter omnem expe-
 ctationem meam locum mihi dedisses. Quo qui-
 dem responso accepto, timiditatis hunc mox sua
 ignaviaque admodum puduit, demissoque in ter-
 ram capite eo perrexit, quo irè instituerat, sese
 idem-

APODEMICA.

identidem non sine stomacho accusans & execrans, quod ante tubam, ut in proverbio est, trepidasset, Thrafonique isti, tam serviliter muliebriterque de via cecisset, ac sese ei deridendum exhibendumque propinasset. *Meland.*

15. *Superioribus via cedendum eosque honorifice salutandos.*

Legatis Florentinorum duobus qui ad Maximilianum venerant in via fortè obviis Legati Veneti salutem dixerunt. Illi eis ne verbum quidem unum reddiderunt, sed illiberali contumaciâ ire perrexerunt. Postridiè autem ejus diei iterum obvii cum de via Legatis Reipubl. Venetæ non cederent, arrogantiusque in eos cum suo comitatu prope conglobarentur, Maurocenus cui quidem præclara atque mirifica faciei dignitas, cum vasta membrorum magnitudine inerat, alterum illorum ita repulit, ut in luto prævolveretur: *Discedere Majoribus pronuncians. Bembus lib. 3. Hist. Venet. pag. 125.*

16. *Comitum rusticitatem & ruditatem patienti animo quandoque ferendam.*

M. Henrichmannus cum hyeme quadam ob maximam nivem, quæ omnia viarum vestigia occluserat & texerat, à recto itinere equitando paululum aberasset, tum rusticus ipsi comes acciter ipsum castigare & objurgare cœpit, inquit. *Probertu artium magister es, ita verò itinere deviaisti, & viam nescis?* Arbitrabatur hebes ille rusticus, quum Philosophus esset, quem nos artium Magistrum vocamus, omnes vias illi cognitatas esse, imò & cal-

ceos suere posse opinabatur. *Henrichmannus in Operis sui Grammatici ad Bebelium praefatione.*

17. *Pericula itinerum ultra modum non esse per-
timescenda.*

Rusticus ex nauta quaesivit, ubi tuus, eia

Mortuus est genitor: mox ait ille, mari.

Qua perit sed avus? mari & ille. Vbi nam tu-
us ille

Quaeso atavus: tumido scilicet ille mari.

Et tu non metuis, pereasne, ingressus in illo?

Talia quaerenti navita rursus ait:

Quaeso, tuus pater est ubi mortuus? ille toro;
at qua

Namque avus ac atavus? lecto obiere suo.

Et tamen haud metuis, ne tu moriaris in illo

Lecto, ad quem toties ipse redire soles?

Qui, vel ubi moriare parum differre putabis

Quaelibet ad coelum mors satis apta via est.

Panthal. Candidus concione funebri tertia pag. 56.

18. *Maritimum iter esse periculosissimum.*

Cardinalis Lotharingus per mare Romam pro-
fecturus, Bruschetum morionem sibi adjungi pe-
tebat, ut hujus facetiis, itineris fastidio levaretur.
Nunquam autem morioni huic persuaderi potu-
it, ut navem conscenderet. Ac dicente quidem
Cardinale, nihil periculi esse, quia sanctissimi Pa-
tris auspiciis navigaturi sint, respondit: *Audi vi-
sepius Papam dominium habere in caelo. terra & pur-
gatorio, sed maris imperium eidem assignatum esse,
nunquam audi vi. Cave igitur putes adduci me posse,
ut propter ipsum me tam furioso & instabili elemento
committam.*

19. *Viarum non tantum ingressum sed veditum quo-
que esse sedulo perpendendum.*

In Helvetianorum annalibus legitur, Leopoldum hujus nominis primum Austriae Ducem, cum consultaret de invadendis tribus Helvetiorum pagis; fatuum suum per jocum interrogasse, quidnam ipsi videretur. *Consultatis omnes*, ille respondit, *de ingressu in hanc terram, quidem deliberatis, sed neminem audio consultantem de exitu.* Quæ vox magno quidem risu excepta est, sed prudenter eum respondisse, postea eventus comprobavit. *D. Lavaterus in Comment, pro. Sol. pag. 39.*

20. *Vanam jactantiam esse fugiendam.*

Nugo quidam lepidus jactare solebat in conviviis, celebres se peregrinando urbes lustrasse quinquaginta, atque in singulis earum exegisse sesquiannum. Quum vero interrogaretur, quotum jam ætatis suæ annum ageret, responderetque nondum quadragesimum, protinus revocabatur res ab auditoribus ad calculum, deprehendebaturque, nugonem illum XXXV. annos priusquam in lucem editus esset, peregrinando perlustrasse urbes. *D. Bullingerus contra Cochleum lib. 1. cap. 26. pag. 58.*

21. *Oportet mendacem esse memorem.*

Alium quendam non puduit omni asseveratione affirmare, se fuisse in regione quadam, ubi apes ovibus magnitudine nihil quicquam cederent. Hoc quam mendacissimè ab illo dici, cum vel surdus audiret, quidam ex auditoribus ita illi respondit: *Oportet igitur istic quidem alvearia perquam capacia esse.* Tum nugo non capaciora nostratibus inquit. Respondit alter iste, non sunt ampliora nostratibus. Deus bone, quid ego audio! *Ecquomodo igitur istæ ingentes apes tuæ*

alvearia, nostratibus haud majora, intrare possunt? Cui nugo in mendacio suo, veluti mus in pice haerens, totusque pudefactus respondit: Hujus equidem rei curam ipsis relinquo. *Datasi ich sie voi sorgen.*

22. *Cum comitibus non facile certandum esse.*

Scribitur de Henrico Luxemburgensi Imperatore, cum in Italia esset, & praeteriret quandam arcem non procul a Bononia: Duo Iurisperiti qui erant in ejus Comitatu, alter eorum de altero quaesivit, an esset Imperatoris arx, quam praeteribant? Is affirmavit, quod omnia essent Imperatoris. Alter negabat dicendo, bona esse propriorum dominorum, non Imperatoris. Et cum aliquandiu contendissent, judicem pari consensu & voluntate fecerunt Imperatorem, ea lege, ut qui victus esset, victori solveret equum. Imperator pronunciavit, quod judicavit ex re sua, nempe omnia esse Imperatoris. Tum qui negaret, alteri dedit equum. Vnde jocus in vulgus sparsus est. *Protulit hic equum, sed tulit alter equum.* *D. Martyr 3. Reg. 21. pag. 170.*

23. *Modestiam in verbis & factis apud magnos viros esse adhibendam.*

Cardinalis Lotharingus Romam aliquando Pontificis Maximi salutandi causa profecturus, Clementem Marottum itineris sibi comitem adjunxit, quo hujus quidem facetiis recreari, atque adeo itineris molestia levari posset. Itaque cum ad urbem, jam diis (quod ajunt) hominibusque plaudentibus, pervenisset, sanctissimum mox patrem hoc Clemento Marotto atque aliis quibusdam

dam Cardinalibus comitatus adit: Ecce autem cum Papa & huic Cardinali, & cæteris itemque pedes osculandos exhiberet, Marottus Cardinali hero suo valere iussu, in pedes sese quantum potest coniecit. Quod quidem cum ipsi Papæ, tum huius etiam astantibus perquam sane admirandum accidit. Itaque actutum quosdam ex stipatoribus suis amandat, qui hominem ex fuga retrahant. Revocatur: Pontificique sistitur. Is quidem ex eo quaerit, ecquid repentina ista atque inopinata fuga sibi vellet? Tum Marottus ridentiore; Verebar equidem, beatissime pater, inquit, ne non mihi inutili seruo podex tuus sua viandus foret, cum meos hosce dominos pedibus tuis oscula dare oporteret. Quamobrè, & ne mihi ipse deessem, fugam mox, moxque capessere volui. Hoc falso atque adeo arguto responso, incredibile est, quantos ille cum Pontifici Maximo, tum purpuratis etiam patribus, risus concitaverit. Quod si alius quispiam hæc in verba erupisset, capitis sine dubio, tanquam hæreticus, atque adeo sacrosanctæ sedis contemtor, fuisset condemnatus. Marottus autem, quod & facie & facetiis esset ridiculus, atque adeo pro semifatio haberetur, impune hoc tulit. Otto Mel. in Tacoser.

24. *Tabellarios stupidos non esse usurpandos.*

Intercedebat cuidam, dioceseos Marpurgensis pastor cum D. Iohanne Draconite, ea tum in Schola Theologiæ Professore celeberrimo magnus ac prope domesticus usus. Itaque ipsum non parum quidem sæpe & invisebat, & munusculo quopiam ornabat, & ad se itemque invitabat, prolixèque accipiebat. Quodam autem tempore
per

per villicum suum Draconiti mittebat plaustrum lignorum, & leporem, villicoque suo Draconitis nomen diu multumque inculcabat, persuasissimum habens, ipsum ita Draconitis nomen insculpsisse, nunquam ut illud per oblivionem deponere posse videretur. At vero cum Marpurgum jam pervenisset, cœpit ex cive uno atque altero percontari, ec ubinam Doctor *Lindwurm* habitaret? Illis respondentibus nullum Marpurgi Doctorem ætatem agere, qui isthoc quidem nomine appelleretur. Quid vos nugamini, inquit, ego certum scio, ævum in hac urbe degere Doctorem quendam *Lindwurm*. Etenim ipse ille meum pastorem frequenter invisit, & meus pastor multum cum ipso est, ut ipsum nunc cum plastro hoc lignorum, tum lepore etiam isto donat. Facite igitur, ut mihi plateam nominetis quam incolit & inhabitat. Cives autem conspicati Scholasticum quendam commodum accedere, hominem ad ipsum illum reiiciunt. Hic interrogatus, ubi Doctor *Lindwurm* habitaret, idem respondet, quod antea cives responderant. Ille nihilominus omni asseveratione affirmat, compertissimum se habere, commorari istic D. quendam *Lindwurm*, ubi ubi etiam delitescat. Itaque Studiosus, ecquas habes literas à tuo pastore, inquit, ad D. *Lindwurm* perscriptas? Profer illas & inscriptionem legam. Qua quidem perlectâ: Tu vero stipes, inquit, investigas Doctorem *Drachen*, non Doctorem *Lindwurm*, qui fortasse non est in rerum natura, nedum in hac Univerſitate aut Academia. Respondet illico rusticus. Ja das ist recht Doctor *Drach* heist er / Doctor *Drach* heist er / ich wuste ja wol / das es der bösen Thieren eines ist. Recte, recte: rem acu

tan-

tangis. Vocatur Doctor Draconitis. Noram equidem esse de saxis istis animalibus quodpiam. *Otto Mel. in locofer.*

25. *Templa sedulo in profectiōibus esse frequentanda.*

Carolus Magnus quandocunque venit in urbem, ad Psalmodiam accessit, & una ipse cecinit, & filiis & principibus lectiones canendas distribuit, & precationem suam cum piis serio coniunxit. *D. Lud. Lavat. in lib. Hesth. Homil. 30.*

26. *In vili veste nullus tractatur honeste.*

Venit annis adhinc aliquot miles quidam ex Galliis Francofurtum, atque hic quidem ad Taurum divertit. Ut ne vero à latronibus infestaretur, sed incolumis ad suos perveniret, vestibus admodum laceris utebatur, interim tamen auro Gallico probe suffarcinatus atque onustus erat. Quod quidem cum hospes olfaceret, iussit eum mercatoribus quibusdam jam cœnaturis assidere. Id illi inique quidem ferebant, impedire tamen non poterant, ideoque multum militi huic inter cœnam molesti erant: Postea enim quum jentaculum apponeretur, singuli suum argenteum cochleare depromunt, hoc adjecto convitio: Is quidem in bonis viris non habibitur, cui cochlear argenteum defuerit. Ein Schelm der keinen Silbernen Löffel hat. Sensit quidem miles, se isto convitio percussis, dissimulavit tamen, tacitus secum cogitans, quemadmodum par pari referret. Itaque conversus ad panem, crustum inde resecat, quo offas ex catino auferat. Caterum cum crustulo illo pro cochleari usus jam esset, illud devorat, hac adjecta recriminatione. Eum equidem in nebulosum

num numero posuerim, qui cochlear suum non devoraverit. Hoc se mercatores convitio peti non obscure animadvertebant, quippe qui argentea sua cochlearia devorare non possunt. Etsi autem miles injuriam à mercatoribus illatam sibi probe ultus erat, nondum tamen desistunt ipsi molesti esse. Vnus enim ipsorum dicebat: Est quidam nebulo, qui quidem vinum oris sui pingvedine conspurcat. Quoties igitur alter alteri præbibeat, toties deprompto mox strophiole os absterget, & cū bibisset, alteri vinum proponit, ita præfatus. Cedo quæso, num ego vinum hoc conspurcaverim? Ille autem cui præbibeatur, respondebat: Tu verò, cui strophium, quo labra mundas suppetit, omnem extra culpam es. Sensit tum miles se denud flagellari. Itaq; mox de vindicta ultioneve cogitat, ac poculum totum exhaurit, idq; ita in mensam deiecit, ut alteri ipsorum in faciem subsiliret, hac adjecta execratione. Ut vos dii deaq; omnes perdant, nunquid meo poculo sordes insident? Nō ita multo post affertur capō affatus, cum turdis afluot: Hos mercatores mox inter se distribuūt sic ut singuli turdum acciperent, quem & sibi solis reservant, nihil de eo quicquam militi decerpentes. Ideo ille conversus ad capum, hunc sibi uni reservat dicens: Video equidem ita ferculum hoc esse dispositum, ut singuli suam habeant aviculam: *Ja ich sehe wol es ist dem Mann vmb einen Vogel zuthun.* Id cum mercatoribus hisce tum ipsi etiam hospiti stomachum fecit. Itaque miles à cœna mox cubitum discedit, veritus nimirum ne Mercatores, posteaquam prolixius bibissent, sibi manus interrent. Caterum cum à diversorii istius famulo in conclave duceretur in quo quidem lecti circiter duodecim consistebant, lectum omnium optimū

occupat, statim ut famulus dorsum ei obvertisset. Veniunt post horam unam atque alteram eodem Venalitiis isti, probe jam vino confecti, ideoque ferociore. Cum vero famulus iste animadverteret, militem lectum omnium preciosissimum quemque mercatoribus straverat, occupasse, totus excanduit, atque ideo vehementer cum ipso expostulavit. Quod audientes mercatores fremebundi advolant, militem obtorto collo e lecto exturbaturi. Is igitur, ut ne sibi ipsi deesset sua se sponte isthinc discessurum spondet, modo tantum sibi spacium concedatur ut emplastrum suum, quod sibi de crure decidisset, ad se recipiat. Quo audito Mercatores hominem mox missum faciunt, neque in eo lecto dormire desiderant, quod Gallica eum scabie infectum esse persuasissimum haberent. Relinquitur ergo bonus miles in hoc suo nido sartus tectus. Mane cum Mercatores in viam sese rursus darent, miles surgit, & lectum mercatorum foedissime permerdat. Cum igitur non ita multo post famulus accederet lectos straturus, hoc a Mercatoribus factum esse credidit. Quibus quidem eo nomine, pestem atque exitium precatus est. Hero autem dixit: Bene profecto est, cum miles preciosissimum lectum occupaverit. Mercatores enim isti iuum pudendum in modum stercorarunt. Itaque idem in omnibus fere miles iste Mercatoribus par pari retulit. *Idem ibidem.*

27. *Viros claros esse adeundos compellandosque.*

Non ita multo post tempore cum Iohannes Fredericus, Dux & Elector Saxoniae, Ienae publicam Scholam aperuisset, visum fuit Iohanni
Ma-

Majori eo proficisci, cum ut Academiae hujus novae statum coram cognosceret, tum ut Victorinum Strigelium Theologum celeberrimum, consalutaret, tum vero maxime, ut Iohannem Stigelium sibi ante hac non visum videret, cum eoque amicitiam constitueret. Ceterum cum Naumburgum usque famulo suo & studioso quodam comitatus pervenisset, ac eam jam urbem ingredi vellet, ecce tibi egreditur Stigelius, Lipsiam ad nundinas profecturus. Quod vero ex Majoris, & incessu, & habitu & comitatu, denique facile perspiceret, esse hominem aliquem literis haud mediocriter tinctum, venit ipsi in mentem suspicari esse ipsum illum Majorem Poëtam, praesertim cum talis jam omnino appareret, qualem quidem alii ipsum saepenumero descripserant. Ideo hoc eum carmine alloquitur: *Dic mihi quo properas, quo tendis amice viator: Cui cum ille responderet: Tendo Ienam studiis inimicam, tendo Gehennam:* coepit Stigelius mox quaerere, ecquis esset, cumque nomen ille suum minimè dissimularet, gaudio exsiliens Stigelius pedem mox refert, Majoremque Ienam deducit, ubi non solum ab ipso illo, verum coeteris etiam Professoribus plerisque omnibus liberaliter fuit prolixèque acceptus, in summoque honore dies complures habitus. Ienam porro gehennam appellabat Major propter unum Flacium, sacras ibi literas interpretantem, quod is quidem fax esset atque tuba omnium in Ecclesia turbarum, atque Philippum Melanchthonem Theologum summum & incomparabilem, cane pejus atque angve odisset *Otto Mel. in locos.*

28. *Cibos in convivio moratè esse sumendos.*

Ve-

Veniebat olim ad Dominum Doctorem Lutherum, Mercator quidam Hamburgensis, homo & divitiis affluens, & consularis, & magnæ denique apud suos auctoritatis. Hic filium suum ipsi commendabat, ut hujus tum mensa, tum hospitio uteretur. Quum autem inter missus ceteros, armi quoque vervecini, & anser itemque assus in cœna apponeretur, venalitii filius, anserem sibi probe deglutiendum animo destinans, probè ipsum probeque excoriabat. Id quod ceteri quidem convictores tacito quodum risu prosequiebantur. Lutherus vero atque Philippus graviter ferebant, dissimulabant tamen propter ipsius parentem, virum & honoratum, & egregium, & ipsis apprimè carum. At vero cum nullum ille excoriandi anseris neque modum neque finem faceret, cœpit ad extremum Lutherus stomacho nonnihil iracundia que exardescere, atque hanc quidem in rationem mercatorem ridentem ore compellare: Ecquod quæso Domine, artificium manuarium filium tu tuum docendum curasses, si is quidem ad discendas literas minus idoneus fuisset, atque accommodatus? Artem mediusfidius didicisset sedentariam ille nullam, respondebat Mercator, sed rem certe, mercaturis faciendis, nostro quidem exemplo, quæsiuisset. Tum Lutherus, si animum ille ad artem coriariam adjunxisset, inquit, næ poterat ille hanc ipsam artem cum celeriter arripere, tum dexterrime etiã tractare, quod hujusce quidem rei præclarum specimen in anserem isto dederit. Er hette wartlich einen guten Gerber geben/ denn er hat das Gansfläder / dismal gar wol gearbeitet. Quo quidem audito, & anserem simul inspecto, Mercator, cæteris effuse ridentibus, filium his quidem verbis corripit; Vide nebulo ne isthac mo-

rum.

rum tuorum rusticitate, aliis deridendum te exhibilandumque propinaveris. Cave per deos nostrumque tui amorem idem posthac taxis, posteaque conversus ad Lutherum: Equidem per quam raro sum domi, inquit, sed maximam aetatis meae partem tum in Belgio, tum in Anglia, tum in aliis etiam regionibus conficio. Unde fit, ut nobis mater eius; uxor mea, filium hunc nostrum, ut pote unicum & sibi incredibiliter carum indulgentiâ ista lenitateque sua corrumpat. Verum ut ne impune istud ferat, pro ipso penas nunc luam, depromptisque aureis mox duobus, vinum afferendum curat, quo istam filii maculam eluat. Etsi vero Lutherus manibus pedibusque obstitabat, ut ne id ipsum faceret, ad extremum tamen Venaliti, ut pote hominis sibi jam amicissimi, & singularis quod ad rem maxime attinet, pietate praestantis, precibus locum relinquit, & ipsum itemque rogat, ut isthanc filii correptionem liberiores suam mitiores in partem interpreteretur: consuevisse se quippe ne Comitibus quidem atque Baronibus parcere, si hoc quidem praeter decorum quid committere animadvertat. Mercator hac Lutheri disciplina maximopere collaudata, perquam se postea hilarem exhibuit, maxime cum videret, filio suo & Lutherum & Philippum illum magnum, magnum autem imo maximum identidem tum praebere tum familiares etiam cum ipso sermones conferre, oblitterata prorsus ac valere iussa molestiâ plane omni, quam quidem ex illa anseris istius nudatione excoriationeque cepisse videbantur. *Idem*
ibidem.

Do-

29. *Domum ex peregrinatione reversos constituti-
ones sanas Reip. & Ecclesie debere po-
tius commendare quam eas-
dem carpere.*

Vir quidam nobilis quū annos non parum qui-
dem multos in exteris regionibus confecisset, cœ-
pit ad extremum de repetenda patria suisque re-
visendis cogitationē suscipere: Domū igitur rever-
sus, die quodā dominico concionis audiendæ gra-
tia in templum intravit. Hic quidem conspicua-
tus, subsellia quædam se absente inscio ædificata
esse, stomacho & iracundiâ totus exarsit. Qua-
mobrem concione finita, pastorem hanc in ratio-
nem affatus est: Ecquis vero malus genius ist-
hanc in montem te impulit, ut hæc subsellia nobis
insalutatis & inconsultis exstruenda curaveris?
Hisque dictis, ex templo in subsellia impetum fa-
cit, eaque pede dextro, quantum potest, distur-
bat & perfringit. Pastor vero, quod jus patro-
natus Ecclesiæ istius non ad nobilem, etsi pagi do-
minus esset, sed ad Principem pertineret, illum ad-
monuit, ut ne tantopere in aliena domo atque
templo Dei sæviret & grassaretur, neque falcem
in alienam messem mitteret, futurum alioqui, ut
sibi ipse malum, veluti turdus, cacaret. Tantum
autem abfuit, ut Centaurus iste hac pastoris
commonitione flexus ad sanitatem redierit, ut po-
tius longe vehementius excanduerit, ac cum sub-
sellis anteluctari non destiterit, quam ea fundi-
tus prostraverit, pessunderit, everterit. Ca-
rum, ut primum Cyclops hic domum reverti-
tur, ecce tibi inter prandium ipso illo pede,
quem subsellis evertendus primum admo-
verat a sacro igni corripitur, quo quidem

CRUS

crus omne ita intumescit & inflammatur, ut parum abfuisse, quin vitæ conservandæ gratia illud ei amputandum fuerit. *Idem ibidem.*

30 *Poculis ad ambas usque aures viatores sese non debere implere.*

Rusticus quidam Hesus die quodam Saturni Cassiliam proficiscebatur, partim ut lavationi hic operam daret, partim vero ut barbam ad cutem usque, ita ut ea tempestate fieri solebat, deradendam demetendamque curaret. Quum autem in cives quosdam amicos familiaresque suos fortè fortuna incideret, atque hi quidem ipsum rogarent, ut secum in cellam vinariam descendens vini mensuram unam atque alteram biberet, ac ad aliud tempus negotium suum differet, itaque morem ipsis haud repugnanter gessit. Porro cum horas jam aliquod poculis strenuè operam dedisset, & appetente nunc vespera, ad ambas usque aures vino ingurgitatus, domum cogitaret, evenit, ut urbe vix egressus & corrueret & vomeret, & somno itemque opprimeretur. Interea Venatores quidam à venatione redeunt in urbem sese recepturi: Horum canes ea cum pulvisculo abliguriunt omnia, quæ porcus iste eiecerat, & os itemque illius impurum genasque esculentis usquequaque oppletas & squalidas etiam atque etiam lambunt & vellicant. Quod ille sentiens in balneis se tonstrinave sic tractari autumat, semisomnisque voce, quanta potest maxima, exclamat: Lenius vero, lenius, inquam, me tracta tondeque. Quippe Prator sum Heigenrodanus: *Scher sachte/ scher sachte/ ich bin der Schult; von Heigenroda.* Quæ vox postea in proverbium abiit, ita quidem, ut vulgi & cives aliquanto asperius inciviliusve ab ali-

aliquo accēpti dicerent : Parcius vero ac mollius
Etenim quæstor sum ac Iudex , ne nescias Heil-
genrodanus. *Idem ibidem.*

31. *Malos quandoque colendos esse ne no-
ceant.*

Hæc mihi commemoranti venit in mentem Hi-
storia de Sanseverino Principe in regno Neapoli-
tano. Is cum ad montem Sinai proficisci vellet,
incidit in Idumæa in equitatum Arabum latrun-
culorum, cumque nullum auxilium aut consilium
nosset , descendens de equo mox iussit apparari
mensam, promi vasa, cibum & potum & assidere
reliquis ad mensam. Equitibus propius acce-
dentibus per interpretem indicari iussit, videri il-
los sibi homines militares, se quoque esse militē,
eaque de causa suscepisse hanc profectionem, ut
qualenam genus militiæ in terris illic esset, cogno-
scere posset; rogat præterea, ut de equis descen-
dant, & secum prandeant. Equites isti admira-
tione humanitatis & virtutis capti, morem ge-
runt, cum Sanseverino prandent, colloquuntur
de rebus militaribus & formis stratagematum &
bellosum. A prandio jubet Princeps promi mu-
nera, bombardas, gladios & pocula, quæ inter eos
distribuit, atque ita incolumis discedit. Arabes
illi cum majori turba revertuntur, & Sanseveri-
num captivum cum suis abducunt, & in arce qua-
dam honorificè & liberaliter excipiunt & tra-
ctant, ac post aliquot dies salvum & incolumem
cum toto comitatu deducunt, præbentq; se de-
fensores & monstratores viæ. Adeo verum est
illud Pindaricum: *Virtus etiam apud hostes & bar-
baros in admiratione est. Selneccerus in 32. cap.*

Gen. pag. 661,

L.II.P.P.

Bb

Ve-

32. Vestem Onerosam potius aliis fidei comitibus con-
 credeudam, quam ut quispiam se ipsum nimis
 eâ oneret & defati-
 get.

Studiosus quidam aliquando in nundinas au-
 tumnales Francofortenses proficiscebatur. Ma-
 gna tunc erat caloris vehementia, sic ut pallii se-
 sui (quod satis longum & grave gestabat) onere
 aliquandiu levari posse non parum quidem sæpè
 exoptaret. Fridberga nunc ante portam, qua
 Francofurtum verus itur aliquousque delatus, in
 Iudæum quendam Fridbergensem ad eandem nū-
 dinas iter facturum, forte fortuna incidit. Cum
 eo verba ultro citroque commutat, & cum millia-
 ris quadrantem fortè unam excurrisset, tandem
 Iudæum hunc ad modum alloquitur? Cum in
 mercatu hoc Francofurtensi à studiosis nonnullis,
 qui in ære meo sunt, pecunias sim accepturus &
 nunc quidem ab omni planè argento destituar, sic
 magno abs te opere, Iudæe, peto, quæsoque, ut
 thalerum mihi mutuo dare ne graverè. Ut vero
 cautum sit, pignoris loco pallium tibi meū trado,
 quod si hoc ipso die pecuniam tibi non restituerò,
 perpetuo tibi reservabis. Annuit Iudæus, & dat
 thalerum accepto pallio, studioso mutuo. Cum
 autem iam ad portas Francofurti devenissent stu-
 diosus hic egregius noster thalerum ex marsupio
 depromptum Iudæo restituit, & pallium ab eo
 suum repetitum ad se recipit, eique gratias aman-
 ter ait, quod suum sibi pallium in hoc intentissi-
 mo caloris æstu eousque deportasset. Iudæus ve-
 ro spe lucri deceptus, tot⁹ infermento jacet, quod
 verba sibi tam turpiter data essent, atque res se-
 cius, ac putarat cecidisset.

Exh.

33. *Eruditionem esse Viaticum omnium firmissimum,
nec naufragio, nec incendio, nec belli vastationi,
nec furto nec rapinae abno-
xium.*

Aristippus Philosophus Socraticus, cum per naufragium ad littus Rhodiense fuisset ejectus, & ibi figuras Geometricas in sabulo vidiſſet, ad ſocios præ gaudio exclamavit. *Bene ſperemus: hominum enim veſtigia video.* Statimque oppidum Rhodium conſcendit, & ibi in gymnaſio cum Philoſophiæ Profeſſoribus diſputans, donatus eſt multis modis muneribus, ut non tantum ſe orna- ret, ſed & his qui ſecum erant veſtimenta præbe- ret. Cum autem ſocii in patriam redire vellent, requirentibus quid domi renunciarent? Dicite inquit, cum in patriam redieritis, poſſeſſiones & viatica parati liberis oportere, quæ à naufragio cum ipſis evadentibus poſſint evadere, nec belli vaſtatione, quantumcunque adverſa, poſſint au- ferri.

34. *Palatum eſſe aſſuefaciendum ad varia e-
dulia.*

Otto Melander invitatus in Italia ad prædivitis cujuſdam cœnam, umbram ſecum adduxit notum quendam Helvetium. Et cum præter acetaria, braſſicam, & olera quædam, nihil aliud in men- ſam afferretur obſonii, ac hoſpes in explicandis herbarum virtutibus, quibus veſcebamur, locis ubi feliciter provenirent, tempore, quo cuilibet ſua vis eſſet efficacior, ac nobilitate, in eo quo rarius quædam invenirentur, cum inquam his verbis magis eſſet occupatus, quam in placando eſuri- on, uterque ventre diſceſſit ex his incitabilis ma-
gis

gis irritato. Et cum Melander diffimularet animi dolorem, ob neglectam domi cœnam, quæ votis commodius respondisset, sciscitatur ex Helvetio sodali, qualem æstimet hanc cœnam Italicam? Et ille, duas in se res habuit, bonam unam, ac malam alteram. Bonam æstimo quod omnibus diebus totius anni convenit. Non enim peccas, si cœnam huiusmodi accipias die Paschali, quæ omnium est nobis celeberrima, & epulis liberior. Neque si in Parasceve, quæ ad jejunia plus omnibus invitatur, quod majorem fermè dolorem afferat irritamento tam exiguæ escæ, quam possit etiam famemes ipsa comminari. Malum præterea habet, quia æstate duntaxat congruit. Nam hyeme tota hæc cœna in fœnum redigetur. Atque adeo ex nostratibus qui sapit in Germania hyemabit, ne hic in herbarum penuria cogatur fœnum edere.

35. *Cuius terre suum peculiarem morem esse in adornandis conviviiis.*

Græcus quidam in Germania aliquantisper commoratus, cum domum rediens, ab amicis de rebus novis atque insolitis, ita ut ferè fit, interrogaretur, ille, ut erat Platonius, cui *ισότης* id est, omnium rerum æqualitas maximè omnium probabatur, nullum Reipublicæ statum Platonicæ propius accedere, si ad æqualitatem respicias, quam illum Germanorum, prædicavit. In Germania enim inquit videas *ισότητα*, id est, æqualitatem primo studiosissimè observari in conviviiis, unâ mensâ collocandis, qua in re cum nos mensis prælongis utimur, diu solliciti & anxii, ut præstantissimum quenquam honorificentiori loco dignemur, illi contra quadratas habent, quibus octo
con.

convivæ ita accumbunt, ut nescias cui locus contigerit eminentior, tanta est prorsus sedium parilitas. Nos item hyeme, honoris respectu, foco admovemus viros nobiles, vulgus ac servos procul inde arcemus: illi contra in hypocaustis suis calorem & fomenta citra delectum, omnibus impertiunt. Adde quod remulentiam, quam illi primam putant felicitatem, omnes etiam promiscuè à majori ad infimæ sortis hominem, cupidè admodum sectantur. Denique olivarum vice (quandoquidem illis ob cœli asperitatem non provenit oleum) porcum habent Germani, cujus sevo illis omnia edulia unguuntur. Nobis certè in ea parte beatiore, quia nihil est cur grandinem, aut gelu intempestivum, oleis afficere metuant.

36. *Artem arte deludendam esse.*

Venit quidam ex itinere sub noctem in diversorium, ac serius quam ut inter convivæ cœnantes commode recipi posset. Proinde dum illi omnia vorassent, nec quicquam fecissent reliqui, coactus eam noctem ventre famelico transigere: ubi primum diluxerat, hospitem valere jubens, institutum iter ingreditur. At hospes in rem suam prudentior, nihil, inquit, mihi exolvis pecuniarum? Tum ille, quid exolvam, ait, quando nec minimum quidem degustavi ex epulis? At qui nidore, dixit hospes, satur poteris fieri. Nidore respondit alter? Rectè mones, & simulans sibi deesse nummos minutos, talerum solidum coniecit in mensam, percontatus, num justus esset valoris? Ex hospes, bene, ut audio, tinnit. Quin tu igitur tinnitum hunc, inquit viator, pro nidore tuo accipis, & recepto talero, coeptum iter ingressus est.

Bb 3

Non

37. *Non esse triumphum canendum ante victoriam.*

Villica quædam cum ovis in calatho capiti impositis in urbem proximam ad mercatum profecta, cum inter eundem spem pulcherrimam ad feliciorum fortunam emergendi animo conciperet, ovorum videlicet plurimam venditionem, fore enim ut crescente indies pecuniâ, tandem liberali otio possit indulgere, & comparibus præferri. Proinde si malit in urbe vivere facilem patere viam, ubi ab agrestibus quoque postea aliquando visa, genibus flexis, ac capite demisso possit salutari. Caterum hunc corporis gestum pariter cum animi cogitatione exprimens villica canistrum simul cum ovis capite excussit. Ita cum rebus præsentibus, spes pulcherrimæ unico momento intercidere.

38. *Sodales quandoque à suis decipi sub specie recti.*

Duo adolescentes in diversorium, sumendi cibi gratia se receperunt, ex his qui erat junior ovum in mensam allatum aperiens, pullum propemodum jam foetura absolutum reperit. Quem cum sodali ostendisset, submonuit ille, clanculum absorberet, ne hospiti, si resciret decuplum solvere cogeretur. Paruit juvenis, & cum ratio sumptuum exposceretur, senior alteri susurravit in aurem: Ne graveris hospiti pro me quod debeo numerare, alioqui prodam te de devorato pullo, & exolves decuplum.

39. *Tempus in Gymnasiis & Academiis non frustra terendum esse.*

Eques quidam Germanus in celebri Gymnasio
sine

APODEMICA.

sine fructu tempora terens, cum à parentibus rudis disciplinarum, ac penitus expers revocaretur: equo infidens, & jam jam abiturus, tabellionem adhibitis aliquot testibus ad se vocabat, ac verbis conceptis sanctè juravit, se nihil prorsus literarum ab illa Academia ablaturum. Itaque si quid eruditionis posthac quacunque incuriâ decederet Scholasticis, aut periret, diligenter se jam contestari, ne sua culpa id accidisse suspicarentur, nec penes se rem hujusmodi perpetuo quærerent.

40. *Ad convivium modestè accedendum, modestè in eo sese gerendum, modeste ab eo recedendum.*

Nuper erat juvenis peregrè conviva vocatus
 (Nupserat egregio pulchra puella viro)
 Induit ergo pedes laxis peronibus, illi
 Sordibus immundi (quid nocet illud?) erant.
 Aptat idem plantâ tinctum ferrugine calcar,
 Quo citius tardum currere cogat equum.
 Et tandem hospiti ferus detertur ad aedes,
 Nam sonipes uno poplite claudus erat.
 Ut venit ecce dapes cunctas videt esse paratas
 Convivamque suo quemque sedere loco.
 Festinans igitur calcaria demere plantis
 Et pedibus pelles, immemor ille fuit;
 Cumque suis ocreis ad mensam accurrit, & ecce
 Virgo affessuro cedit honesta locum:
 At latus ingenuæ sic proximus ille puellæ
 Confidet, haud talem dignus habere locum.
 Protinus affertur pingvis gallina sedenti;
 Quam juvenis doctâ dissecat ille manu,
 Non bene erat certa versatus in arte secandi,
 Nec quid agat certum nec quid amittat, habet.
 Audet, & acceptæ geminas cum cruribus alas
 Desecat, à quadra ne revolare queat.

Præ-

Præpositurus erat truncum tibi candida virgo

Heu mihi sub mensam trunca cadebat avis.

Ille rubens ignominiâ, se incurvat ut illam

Quærat, & è durâ tollere possit humo

Tum miser ingentem crepitum perterritus edit:

Vt nimium toto corpore curvus erat.

Oraque non parvo confusus honesta pudore,

Post habitis epulis aufugiturus erat.

Ferrea sed mensæ prendunt calcaria mappam,

Atque illam secum qua fugit illa trahunt.

Pocula nonne putas illum evertisse dapesque?

Quæq; dabant mensâ lumina clara faces?

Mensâ etiam juveni fugienti obstabat ibidem

Multa tenens vario vitra parata mero.

Hanc quoque præcipiti dum concitus impete, fer-

tur,

Vertit & ad terram pocula fracta cadunt.

Obvius in mediis foribus tum fortè minister,

Qui feret in mensam fercula grata, venit.

Vt ruit hic cursu furioso, impingit in illum,

Et facit effundi quas tulit ipse dapes.

Hos auctus claudum conscendit honore caballum,

Et repetit patriæ limina nota suæ.

Doctor Fridericus Dedekind de morum simp. lib. 30

cap 5.

41. *Obviantes non esse verbis importunis ad-*
riendos.

Grassator quidam extremo fuit supplicio ma-
tatus. Qui quidem cum equuleo subjectus in do-
lore jam fuisset atque tormentis, effusè mox ride-
re cœpit; Admirante vero Prætoze atque quæren-
te ecquidnam cachinnatio ista ac risus solutior, si-
bi vellet? respondit. Mihi vero in mentem nunc

re-

veniebat rustici cujuspian nostratis, qui quidem cum Bruhania, ad ambas usque aures sese Hannoveræ repleset, in nos propè piscinam quandam incidit, nobisque conspectis, utrumque mox brachium sustulit, ac voce quantum potuit contenditque atq; clamavit. Wycket/ wycket/ dann ich bin alle dun/ ich bin alle dun. Apage, apage te à me; nam ego quidem probè nunc potus mihi haud consto, sed foenum in cornu habeo. Cui ego, nos verò tibi haud quaquam cedemus caudex respondi, sed tu cedes nobis, arreptumque nebulonem in ipsam piscinam projecit. Vbi cum aliquandiu ultro citroque minus scienter nataisset, ad extremum deficiens concidensque animam exhalavit. Qua quidem ex re non modo tunc mirificam cepi animo voluptatem, sed nunc etiam ejus memoria atque recordatio mirum est mihi in modum jucunda, ita prorsus, ut risum in praesentia de ea cogitans, tenere haud sane potuerim. Est quidem nostris hominibus, id quod minime me fugit, in proverbio, homini alicui vino cerevisiavè confecto, in multis esse connivendum, ac condonandum plurimum. Man soll einen trunkenen Mann / auch mit einem fuder Hey auf dem wege fahren. At ego mihi nullam ejus habendam esse rationem, tum quidem existimavi.

42. *Supplicio affectos non esse ludibrio habendos.*

Marpurgi olim sutor quidam calceorum vendendorum causa ad nundinas Dressenses proficiscebatur. Interea autem dum Dressæ negotiatur, fur quidam Marpurgi in crucem agitur: Quod quidem cum calcearium fugeret nocte concubia reversurus domum, ac nonnihil de via langvens,

propè patibulum confidet & paululum respirans, quiete utitur. Brevi spatio interjecto, redit & venalitiis quidam Marpurgensis, è mercatu eodem, ac furem nudius tertius cruci suffixum hanc in rationem alloquitur: Quod si tum, cum urbem ingredi aves, fac actutum accedas, morâ interpositâ planè nulla. Id audiens calcearius, quem mercator tenebris obstantibus haud viderat, ac se quidem peti arbitratus, respondet. Ego vero commeaturus sum tecum, præstolare mihi paulisper, & cum dicto longurium humeris calcearium imponit, in viamque se dat. Venalitiis non solum hominis voce, sed & strepitu calceorum ex contententium audito, furem & respondisse, & subsequi autumat, ideoque in pedes sese quantum quidem potest, coniicit, ac præceps fugæ sese mādāt, id animadvertens Sutor, summa hominem contentione insequitur, identidem clamitans, he⁹ bone vir, heus operire, heus inquam expecta me, gradumq; siste. At vero quo magis hic post illum & clamabat, & currebat, eo is se minus è cursu revocari aut retardari patiebatur, persuassimum habens, ipsum furem ita vociferari, & tanto cum strepitu accurrere. Curritur ita utrinque stadium acerrima contentione ac incredibili mercatoris velocitate, qui & inter currendum identidem concidens, se à fure isto transversum rapi præcipitemque agi arbitrabatur. Ne multa. Venitur ad extremum ad civitatis portas, easque clausas, Quamobrem Venalitiis nolenti volenti Sutoris expectandus est accessus. Quod igitur jam luna splendere inciperet, cursu ac lassitudine exanimatus, totoque corpore tum sudans tum trepidans calcearium sominus ex incessu motusq;

tuq; corporis agnoscit. Quem quidem Sutor molli brachio objurgans, his verbis alloquitur. Malam vero pestem tibi compater, qui quidem me comitem tibi accersiveris, ac postea iter ingressum fuga importunissima repudiaveris. Vide ut toto ego corpore æstuem sudemque. Huic Mercator respondens, ait, tu ne igitur ad patibulum fuisti, in quod nudius tertius fur quidam famosissimus actus fuit; Quæ hæc (malum) insania est? Te equidem nequè conspicatus sum, neque affatus, sed ad locum supplicii veniens, ad furem verba feci, ex ipsoque per jocum quæsi, num mecum in urbem proficisci vellet, Quod igitur tu & responderes & post me subinde clamares, & me, insequereris, existimavi, equidem, id omne aut à fure ipso, aut manibus certè illius fieri. Eaque re in tanta fui trepidatione, quantam ego nunquam verbis tibi exposuerim. Quid quæris? equidem cursum conficiens, ita sum sæpè, itaque graviter lapsus, ut medium me à spectro aliquo abripi, in terramque abiici atque prosterni putaverim. Placuit postea ipsis vino mutuum sese reficere ac omnem cursus molestiam, æstum, atque sudorem poculis per totâ nocte exhaustis abstergere. Quod autem res tota emanaret in vulgus incredibile est, quantopere Venalitiis qui vir fortis & animosus haberi gestiebat, exagitatus passim fuerit.

43. *Deum quandoque aberrantes miraculose servare atque ex periculo liberare.*

Facere equidem non possum, quin hic quoque historiae Friburgensis mentionem inferam, Parentes quidam parvis facultatibus ac opibus præditi, hyberno tempore in sylvam proficiscebantur,

Bb 6

labo-

labores nescio quos exantlaturi. Quod autem filiolus ipsis esset, faciendum sibi putabant, ut hunc sibi adjungerent. Is altam nivem nihil moratus quicquam, ultro citroque cursitat; ita quidem, ut aliquanto longius à parentibus ferretur. Hi igitur domum jam nunc remeaturi, ipsum diu multumque quæsitum, haud quaquam inveniunt, eaque re non parvo in luctu atque squalore jacent, delabente præsertim nocte postera profunda admodum horriferaque nive. Quid multa? Afflictissimi parentes filium suum omnibus vestigiis ad tertium usque diem indagant ac quærunt, in eamque cogitationem ad extremum veniunt, periisse eum frigore, è vitæque descivisse maximè cum à vestibus flagitiosè esset imparatus. Verum quid fit? Tertio demum die, virgulâ, ut ajunt, divinâ filium suum sub arbore quadam sedentem inveniunt. Vbi quidem & perbellè valens, & lætitiâ gestiens, parentibus commemorat, liberali facie senem quendam sibi non solum cibum potumque præbuisse affatim, verum præsto etiam fuisse, ut ne injuriam aliquam detrimentumque acciperet M. Hieronymus Mincelius *Postilla sua parte secunda pagina 439.*

44. *In alieno solo nimiam libertatem sibi non esse sumendam, & Latinam linguam quibus vis esse necessariam.*

Non possum non meminisse, quod Joanni Pizerbio, Gnesnensi Archiepiscopo, summo illis temporibus viro, sed paulo in suos indulgentiori, Sigismundi Regis Poloniae ad Ferdinandum Cæsarem legato, Viennæ acciderit. Quum ejus quidam aurigæ, prægrandi currui octo equis junctis, ad secanda ligna extra urbem decessissent, & aut
alte-

alterius sylvæ ignari, aut longius iter veriti, in proximiorē & Viennæ magis vicinam Sylvam divertissent, quæ Imperatoris ipsius non tam usibus, quam delitiis servabatur. Ex hac igitur sylvâ cum prægrandem illum lignis onustum currum Viennam traherent, Ferdinandus, ut eos est conspicatus, irâ subito exarsit, & aurigas, cujusnam essent, quæsitum misit. Tum aurigæ paucis illis Latinis voculis usi: *Archiepiscopi Gnesnensis, Legatini, & Regni Poloniæ Primatis, & apud Cæsaream Majestatem Poloniæ Regis Oratoris* esse se testati sunt. Quo magis re, ut fit, in risum versa, & quod vel ipsi etiam aurigæ apud Polonos Latine loquerentur, omnib⁹ inter se jocantibus, jussi tandem sunt impune proficisci, non tamen sine tacita reprehensione, quod vel aurigæ tantum, sibi suffissent in alieno solo libertatis. Insolentiæ enim fere semper, pudoris & moderationis nunquam ajunt aliquem panituisse *Varse vicinus in oratione de Legatis.*

45. *Magnatum & Principum filiis Latinam linguam omnino esse addiscendam.*

Quo olim tempore amœnissimus ille politissimusq; Germaniæ Poëta Georgius Sabinus, in Italia uberioris doctrinæ percipiendæ gratia ætatem egit, eo quidem Germaniæ cuidam Regulo placitum fuit, ut exterarum regiones, in primisque Italianam lustraret, in eoque Georgii Sabini uteretur operâ. Peragratis igitur Italiæ urbibus plerisque omnibus, ventum ad extremum fuit, Romam, quod est caput mundi; Vbi quidem principem Germanum, mira quædam incredibilisq; videndi Pontificis Maximi cupido incessit. Adit ergo Sa-

binus de ipsius voluntate ad Bembum Sadoletū, quibus quidem familiarissimè utebatur, quique ipsius causâ volebant omnia, ab ipsisque petiit, ut sibi à Præsule Romano impetrarent, quo in conspectum illius colloctionemque venire possent. Quid multa? voti sui participes Pontifice Maximo minimè repugnante evadunt. Itaq; ipsius in conspectum congressumque admissi debitum illi solennemq; honorem reverenter, demissè, humiliterq; exhibent. Quod autem Sabinus orationem Latinam gravissimis verbis sententiisq; plenam, atq; adeo omnibus ornamentis abundantem ad Pontificem Maximum haberet, mirificam ille ex ea voluptatem cepit, eaq; re tum Sabinum, tum vero Germaniæ Regulum ad prandium suum adhibuit. In quo quidem de multis ultro citroque cum Sabino collocutus, Principem tacitum assidere, ac verbum facere planè nullum admiratur. Proinde in mentem illi ad extremum venit suspicari Principem Latinè nescire, quippe qui optimis disciplinis atq; artibus parū studuisset. Quod quidē ut comperiret, ipsum per interpretē hortatur, ut & edat, & bibat, & frontem explicet, & colloquia denique sua ex somnio excitet, muta ista persona, quam hactenus egisset strenue, tandem aliquando deposita. His dictis, ex ipso quaerit, ecquam Latinae lingvæ cognitionem facultatemq; habeat? Respondente vero ipso omnis se omnino eruditionis expertē ignarumque esse, Pontifex Maximus ex templo non sine stomacho exclamat, *Pulchra Bestia!* Quod enim in Principe, singularis quaedam esset majestas, ac decentissima corporis statura, ipse autem fortassis ingenio suo diffusus, animum excoluisset suum, doctrina prope modum nullâ, hocce illi convivium faciendum putat.

puta-

putavit, pulchram ut ipsum bestiam appellaret: Etsi vero Princeps haud obscure perspiciebat, isthoc suo responso offendi nonnihil ac commoveri Præsidem Romanum, ac se quidem voce ista acerbiori percuti, quid tamen aut ipse diceret, aut quamobrem in se inveheretur minimè intelligere, aut exputare poterat. Quamobrem Sabino in aurem insufurrans, quærit, ecquid verba ista, PONTIFICIS MAXIMI stomachosiora sibi vellent, quamve ille jam eructasset vocem? Cui respondebat Sabinus: cum Pont. Max. per interpretem tibi verba faceret, equidem cum Bembo conferebam sermones, ita quidem, ut minime omnium animadverterim, ecquid ille dixerit, aut numnam excanduerit. Menia quoque jam remota, Princeps etiam atque etiam instabat & urgebat, se ut Sabinus non celaret, quid sibi iste Papæ vulticulus, ac compellatio asperior voluisset. At vero responsum ille aliud tulit nullum, nisi prius illud, quod diximus. Cæterum postridiè, cum Roma jam excessissent, & aliquo usque essent progressi, Sabinus, laborabas tu quidem scire heri, clementissime Domine, inquit, cum Pont. Max. adhuc assidens tum ab eo digressus, cur te ille & aspexisset torvè, & stomachum item in te erupisset. Quod igitur tum te ego magno rogatus opere celabam, subverens nimirum, ne tibi ipse periculū aliquod creares, id meâ equidem nunc sponte cum omnis res in vado sit, in sinum tibi effundam. Quod, literis minime te tinctum esse, Pontifex Maximus, tuo ipsius indicio cognosceret, id quidem graviter admodum molesteque ferens, stomacho atq; iracundiâ efferveſcebat, extensoque in te digito, exclamabat, *Pulchra bestia; innuens, te quidem*
 Prin-

Principem longe omnium formosissimum esse, at vero animum optimarum artium studiis minimè expoluisse, id quod te cum primis fecisse oportuerit. Quando vero commissum abs te, istuc quidem ut neglexeris, nihil me hercule, aut perparum inter te & bestiam aliquam interesse. Eo Princeps audito, sic incitatus animo, itaque ira accenditur, ut hominem ex potestate exiisse diceres. Quid quæris? has ille subinde voces jactabat. Tunc Pontifex Maxime bestiarum in numero locoque nos ducis? Disperiam equidem, si id mihi Romæ tecum prandenti explicatum fuisset, ni tibi, vel capitis mei cum discrimine, ense hoc meo fuerim vitam exhausturus. Cui Sabinus, id vero mihi veniebat in mentem, subvereri, inquit, eaque te gratia de eo tantis pericelandum putabam, dum ex urbe excessissemus locum. Quod porro ad Pontificem Maximum attinet rectè quidem ille atque ratione hac certe in parte, pronuntiavit; Principem corporis duntaxat dotibus, & nō item animi perornatum, Pulchram esse Bestiam. Corporis enim bona, veram laudem non habent. Atq; ille quidem Princeps, ingenii & doctrinæ Platonis, tum deniq; fore beatas Respublicas putavit, si aut docti aut sapientes homines eas regere coepissent, aut qui regerent omne suum studium, in doctrina & sapientia collocassent. Veruntamen si unum ille Princeps Germanus minus fuit literatus, habet hæc nostra profecta ætas Principes Germanos complures, in omni disciplinã genere doctissimos, ita quidem, ut Latine illi non solum pure expediteque loquantur, sed & scribant elegantissime. Neq; vero dubitent, cum summis Philosophis & cum gravissimis exercitatissimisque Theologis & cum Iureconsultis præstantissimis, in arenam

de-

descendere, disputationemq; ingredi atq; conferre. D. Esaias Heidenreich Homilia in lib. Iosuae 3.

46. *Non omnes esse re vera aurigas qui se pro aurigis venditant.*

Anni effluxerunt jam aliquot, cū exhausto pudore omni planus quidam per Germaniam, ultro citroq; vagabatur, ac se cum pro auriga gerebat, tū vero furta faciebat, & complura & permagna. Ne vero talis omnino non existimaretur, qualem quidem se esse fingebat & simulabat, dextera gerebat scuticam quandam, hospitiumque aliquod ingressus tumido ore superbeque gloriabatur, vel eā adhuc vesperā, vel postridiē certē benē manē, venturos eodem servulos suos, adducturosque secum equos viginti, currus trahentes quatuor, vino Rhenensi, partim vero Alsatico generosissimo probe oneratos. His dictis, equile mox ingrediebatur, & cum stabulationi equorum stramenta præparabat, tum avenam etiam fænumq; poscebat ab hospite, atque his quidem & præsepia & vacerras calthrosvè replebat, ne non equis protinus, hoc est, ad Kalendas Græcas accessuris, pabulum affatim suppeditaret. His igitur eum admodum administratis, hilariter & cœnabat & bibebat, & hospiti subinde spem iniiciebat, gustaturum ipsum abundē vinum suum, ut primum illud adveheretur, id quod mox moxque futurum esse, & benē denique curata jam cute cubitum discedebat. Postea autem, quum & hospitem & familiam ipsius omnem somnus jam esset arctior complexus, ille de strato suo surgens, ea mox furto intervertebat, quæ quidem usui sibi fore interdū conspexerat, quæque tacitus spe atq; mente devoraverat, sibiq; depoposcerat, ut pote &

vestes & patinas, cantharosq; stanneos, & candelabra & mappas & sartagine, & mantilia, & id deniq; genus alia. Non enim erat delicati aut nauseabundi homo stomachi, ut respueret quippiam aut averfaretur, sed quicquid picatis ipsius manibus offerrebat, id ille quam avidissime, nullo habito delectu, auferebat & suscipiebat. Ceterum cum adumbratus hic curruum rector ERPHURDIÆ quoque artem isthanc suam illiberalem, suspendioque averrucandam exercere constituisset, hospes qui de stellione isto non parum quidem multa persapè audierat fucum odorabatur. Quod ipsum tamen dissimulans, amplè illum nihilo secius prolixèque accipiebat. Sed & neq; ipse, neq; uxor, neq; filii ejus duo, ea nocte somnum capiebant, intenti nimirum id unum, num nebulo hic quoque furari, in suamque rem convertere aliena vellet, posteaque clam, ita ut consueverat sese subducere. Quid autem fit? Medià intempestaque nocte, fur iste è nidulo suo provolat, & saccum quendam suum, sub veste occultatum, non solum ejusque modi suppellectilibus, sed & vestimentis replet, atque his probe suffarcinatus, fores ædium clam recludit, seseque proripit. Quanquam autem & hospes & ipsius denique filii audiebant, ut suppellectilia ille convasaret aperiretque januam, id ipsum tamen dissimulantes, nebulonem minimè interpellabant, aut interturbant. At vero ubi adibus jam excessit, ipsum è vestigio insequantur, comprehensumque cum venabulis suis probè dedolant probeq;, tum vero Magistratui in carcerem condendum propinant. Quod autem ipse sua sponte confiteretur, quot ac quanta fecisset multis jam annis furta, non ita multo post in iudicium adducitur. Hic ergo

ergo ille, nondum sese suspendendo latâ sententiâ, carnificem his verbis alloquitur: Vnum utique est Magister bone, quod te vehementer etiâ atq; etiâ rogatum volo. Ecquid vero est istud? respondet tortor. Ut nimirum acturus in crucem me, magnâ cum cura atque diligentia provideas, ne, promissâ hæc mea decensque barba, resti, gulam mihi fracturæ induatur. Hunc consolatur spiculator, ait, de eo non est quod quicquam labores, fac potius de anima tua salvanda sis sollicitus. Equidem istuc videro. Quid multa? Paulo post sententia de ipso in crucem tollendo suspēdoque fertur: Idcirco carnifex cum capiti ipsius mox sertum imponit (sic enim malefici ex finibus humanæ naturæ exterminanti redimiri isthic atq; ornari assolent, ut sint scilicet ex virtutibus suis ornati) tum vero barbam ei flavam atque prolixam pectine etiam atque etiam explicat, pectitq; tum etiam ita redimitum atque depexum educit, ut laqueo ipsum vita expellat, pensilemque efficiat. Cæterum, cum ille scalas patibulo applicatas supinus jam ascenderet, carnificem denuo hanc quidem in rationem affatur: Tenes haud dubiè memoriâ, Magister optime, quid non ita pridem summis abs te precibus petierim atque contenderim, dares nimirum operam, quantam posses maximam, ut ne barba mea, funi spiritum interclusuro, ac erepturo vitam, implicaretur, & irretiretur, cave igitur committas illi ut ea illaqueetur & impediatur. Cui respondet carnifex, de eo mihi vero curæ est futurum: tuum contra fuerit fili, potius de animæ tuæ salute, quam de barbæ tuæ istius seu implicatione, seu vellicatione, laborare sollicitumque esse. Qui quidem ipsorum sermo ultro citroque habitus, incredibili omnium

fuge

fuit audientium risu exceptus. Barba porro ista mirificè ornabat hominem, ita quidem, ut & gravitate minime vulgarem honestatisque specimen conciliare illi videretur, neque vero quisquam omnium putaret, ipsum intuitus, hominem ita gravem atque severum clepere atque furari consuevisse, maxime cum & optimè vestitus incederet, & aurigæ personam egregiè sustineret.

47. *Equi curam & interdium & noctu sedulo habendam.*

Eschvegiæ mensibus propemodam singulis coriarii bene multi Lubecam proficiscuntur, ut hic quidem tum tergora coemant, tum domum devectæ, & depilent & elaborent, & denique perficiant. Ex his postea & calcei, & sandalia, & ocreæ & cingula, & fræni, & capistra, & ephippia, & antilena, & helcia, & postilena, & lora, & folles, & utres, & manticæ, & culei, & bulgæ, & id denique genus alia parantur atque conficiuntur. Quidam autem bonus & honestus vir, ipsis sese adiunxerat, rebus suis istic ex sententia confectis, equum emit, næ, ætate jam nunc confectus, pedibus domum remeare cogeretur. Quo quidem consensu, cum diei unius iter jam confecisset, cum comitibus suis, & cœnat & cubitum sese confert. Nocte porro media, cum quidam de amicis ipsius evigilaret, faciendum sibi existimaret, ut clamore mox sublato, ipsum quoque adumbratum equitem expergefaceret, atque hanc quidem in rationem alloqueretur: Heus heus propater, nullo te cura de equo isto tuo attingit? Ecquando tu illum pasces? Fac actutum surgas, illique pabuli quippiam subministres. Quo audito ille

ex-

exclamat. Deus bone, quid ego audio, ergone & noctu vescuntur equi. Fressen denn die Pferde des Nachts auch? Id cæteris quoque non sine risu syn- crusio affirmantibus, ipse è nidulo suo ad extre- mum prorepit & malam pestem asturconi suo im- precatus, pabulum præbet, has quidem voces i- dentidem atq; adeo ad ravim usque crepans & ja- ctitans: Te quidem hercle ego diu haud retinu- ero, cum non interdiu solum, sed & noctu vorare consueveris: Næ ego nunquam te emissem, id qui- dem ante explicatum mihi si fuisset. Du wirst war- lich nicht lange meines Viehes seyn. Wenn du nicht al- lein des Tages/ sondern auch des Nachts friessst / hette ich das zuvor gewußt/ wurde ich dich schwerlich ge- kauft haben. Cæterum ut primum domum rediit, eo- dem ipsum precio vendit, quo non ita pridem e- merat: Minimè è re sua futurum ratus, si no- cturnum istum edonem gulonemve domi suæ diutius alerem. Wolte des Nachtfressers kurtzum- quit ledig vnd los seyn.

48. *Vanam jactantiam esse fugiendam.*

Vir quidam peregrinatus, deinde in suam pa- triam reversus aliaque multa in diversis virili- ter gessisse locis jactabat, atque etiam Rhodi sal- tasse saltum, quem nullus ejus loci potuerit sal- tare: ad hoc & testes qui sibi interfuerunt dice- bat se habere. Quidam autem ex iis qui aderant respondens ait; Heus tu si verum est hoc, non est opus tibi testibus. *En Rhodus, en & saltus.*

49. *Vota esse servanda nec Deum esse il- ludendum.*

Viator multa confecta via oravit, si quid invene- rit, dimidium ejus Mercurio dedicaturum. Nactus
igi-

igitur peram cariotarum & amygdalarum plenā, atque ea concepta, eas comedit. Sed cariotarum ossa & amygdalarum cortices super altari quodā imposuit, inquiens. Habes ō Mercuri, votum. Nam rei inventæ exteriora & interiora tecum partior.

50. *Rudes patienti animo esse tolerandos.*

Obviam factus Apro Asinus, crebros cachinnos erudens, etiam familiariter illum compellare non dubitavit: Salve mi fratercule, inquit salve: Quamdiu est, quod te his in locis non conspicimus? ubinam gentium moratus? & percontari deinde, nunquid afferret novi? quid narraret? Postremo etiam suam operam illi deferre, & rogare nunquid vellet? Aper cum irritaretur ineptiis stolidi aselli, iratus, caputque quassans: Non tamen ego, inquit, fatui istius sanguine contaminabo fauces meas, & præterit, relinquens ignavum & vector animal.

51. *Equos vel asinos nimis non esse onerandos.*

Agitabat quidam equum & asinum onustos sarcinis. Deficiente autem in itinere asino, & petente ab equo, ut aliqua parte oneris se levaret, si se vivū aspicere vellet, repudiavit equus preces illius. Paulo igitur post fatigatione & labore consumptus asinus in via corruit, & efflavit animam. Tum agitator omnes sarcinas, quas asinus portaverat, atque insuper etiam detractam pellem asino, in equum imposuit. Ibi ille deplorans fortunam suam, cum sero jam fastidii pæniteret: Miserrimum inquit, qui parvulum onus in me suscipere gravatus fuerim, cum nunc cogar tantum
 ter-

ferre, accedente etiam pelle comitis mei, cujus preces tam superbè contemseram.

52. *Socios inconstantes esse vitandos.*

Satyros & Silenos vocant Græci ruris & sylvarum numina, qui Latinis sunt Fauni & Sylvani. Ex his unus quondam, viatorem hyemis frigore afflictum, deduxisse perhibetur in specum suum, misertus hominis. Cumq; videret crebro eum manus ori admovere & illis inhalare, rogat quid sibi ea res velit. Respondit viator calefieri ita spiritu manus contractas gelu. Tum Satyrus, ne quid humanitatis erga hospitem prætermitteret, affert in phiala vinum calidum & adhuc fervens, illoq; suum fovere guttur & stomachum jubet. In hoc & ipsū inspirare viator, quod diceret, admiranti & causam requirenti Satyro, refrigerari potum anhelitu. Ibi Satyrus eum averfatus, at tu inquit, cito te aufer à me, & egredere de ipecu, nihil enim cum tua perversitate commercii habere volo, qui eodem ex ore efflas calidum & frigidum.

53. *Manum operi esse adhibendam.*

Bubulcus onustum lignis plaustrum domum agebat, quod cum in lutosa via & salebris hæreret, & retineretur, cœpit ille otiosè astans Deos Deasque in auxilium advocare, præque cæteris quem maximè propter celebratum vulgo robur colebat, Herculem. Tum illi se Herculem conspiciendum obtulisse ferunt, & his verbis corripuisse stolidam ignaviam ipsius. Rotis manus, ô bubulce, applica, & stimulum bobus admove, & Deorum deinde opem poscito, ne si tu cesses, Dii frustra invocentur. Unde & proverbium natum: *Manum ad-*

move

moverentes invocare numina. Et hoc: Aliquid & ipse agens fac in voces Deos.

54. *Musitantes potius cavendos, quam clamorosos homines, nec placidis fluminibus sese credendum.*

Rusticus transiturus flumen vadum vestigabat. Ac primum quadam parte se recepturum sperabat, qua defluebat illud placide, & cum silentio, sed à tentante reperitur magna ibi profunditas. Facit igitur alibi periculum, ubi quidem reperit vadum aqua vero cum strepitu & impetu decurrebat. Tum ille hæc secum. Non, ut video, inquit, animi murmura & fremitus, sed silentium & leves sibili metuendi sunt.

55. *Multis suis malis non moveri si prius hostium adversitates viderint.*

In eadem Navi vehebantur duo, qui inter se capitalia odia exercebant. Atque unus quidem in prora, alter vero in puppi residebat. Ortâ tempestate ingenti, cum omnes de vitâ desperassent, interrogat is, qui in puppi sedebat, gubernatorem, quam partem navis primum submersam iri putaret? Cui gubernator, proram inquit. Tum ille: Iam non magis, inquit, mors mihi gravis futura est, siquidem aspecturus sum interitum inimici mei.

56. *Quosdam à presentibus commodis, quibus ob inscitiam uti nesci verunt nonnunquam excidere.*

Duo quidam cum in desertis asinum quempiam fortuna nacti essent, contendere inter se ceperunt.

runt, uter eorum, eund. secum domum abduceret
Nam utrique pariter à fortuna videbatur obje-
ctus. Hac interim de re illis invicem altercanti-
bus, asinus sese subduxit, ac neuter eo potitus est.

57. *Deum quandoque mirabiliter quosdam à pe-
riculis liberare.*

Appion, qui Polyhistor appellatus est, literis
homo multis præditus, rerumque Græcarum plu-
rima atque varia scientia fuit: Ejus libri non ince-
lebres feruntur, quibus omnibus fermè, quæ mi-
rifica in Ægypto visuntur audiunturque historia
comprehendit. Sed in iis, quæ audisse, vel legis-
se sese dicit, fortasse à vitio studioque ostentatio-
nis fit loquacior: est enim sanè quam in prædi-
candis doctrinis suis venditator. Hoc autem quod
in libro Ægyptiacorum quinto scripsit, neque au-
disse, neq; legisse, se ipsum sese in urbe Roma vi-
disse oculis suis confirmat. In circo maximo, in-
quit, venationis amplissimæ pugna populo daba-
tur, ejus rei Romæ cum forte essem spectator, in-
quit, fui. Multa ibi savientes feræ magnitudine
bestiarum excellentes, omniumque inusitata aut
forma erat, aut ferocia. Sed præter alia omnia,
leonum, inquit immanitas admiratione fuit, præ-
terque omnes cæteros unius. Is unus leo corpo-
ris impetu, vastitudine, terrificoque fremitu &
sonoro, toris comisque cervicum fluctuantibus, a-
nimos oculosq; omnium in sese converterat. In-
troducatus erat inter complures cæteros ad pu-
gnam bestiarum. Dacus servus viri consularis: ei
servo Andròdus nomen fuit. Hunc ille leo ubi
vidit procul, repente, inquit, quasi admirans stetit,
ac deinde sensim ac placidè, tanquam noscitabun-
dus ad hominem accedit. Tum caudam more

L.H.P.P.

C

at-

atque ritu adulantium canum clementer & blandè movet, hominisq; sese corpori adjungit: cruraq; ejus & manus prope jam exanimati metu, lingvâ leniter demulcet. Homo Androdus inter illa tam atrocis feræ blandimenta amissum animum recuperat, paulatimq; oculos ad contuendum leonem refert. Tum quasi mutua recognitione facta latos, inquit, & gratulabundos videres hominem & leonem. Ea re prorsus jam admirabili, maximos populi clamores excitatos dicit, accersitumque à Cæsare Androdum quasi tamque causam, cur ille atrocissimus leonum uniparisset: Androd⁹ rem mirificâ narrat, atq; admirandam: Cum provinciam, inquit, Africam pro consulari imperio meus Dominus obtineret, ego ibi iniquis ejus & quotidianis verberibus ad fugam sum coactus: & ut mihi à Domino terræ illius præside tutiores latebræ forent in camporum & arenarum solitudines concessi: ac si defuisset cibus, consilium fuit mortem aliquo pacto quærere. Tum sole inquit, rapido, & flagrante specum quandam nactus remotam latebrosamque, in eam me penetro & recondo, neque multo post ad eandem specum venit hic leo debili uno & cruento pede, gemitus edens & murmura, dolorem cruciatumque vulneris commiserantia. Atque illic primo quidem conspectu advenientis leonis territum sibi & pavefactum animum dixit: Sed postquam introgressus, inquit, leo, uti re ipsa apparuit, in habitaculum illud suum, vidit me procul delitescentem, mitis & mansverus accessit, & sublatum pedem ostendere mihi, & porrigere, quasi opis petendæ gratia, visus est. Ibi, inquit, ego stirpem ingentem vestigio pedis ejus harentem revulsi, conceptamq; saniem vulnere intimo

ex-

expressi, accuratiusque sine magna jam formidine siccavi penitus, atque deterfi cruorem. Ille tunc mea opera & medela levatus, pede in manibus meis posito recubuit & requievit. Atq; ex ea die triennium totum ego & leo in eadem specu, eodemque victu viximus. Nam quas venabatur feras, membra opimiora ad specum mihi suggerebat, quæ ego ignis copiam non habens, sole meridiano torrens edebam. Sed, ubi me, inquit, vitæ illius ferinæ jam pertasum est, leone in venatum profecto reliqui specum, & viam ferè tridui permensus à militibus visus apprehensusque sum, & ad Dominum ex Africa Romam deductus. Is me statim rei capitalis damnandum, dandumque ad bestias curavit. Intellego autem, inquit, hunc quoque leonem me tunc separato captum, gratiam nunc mihi beneficii & medicinæ referre. Hæc Appion dixisse Androdum tradit, eaque omnia scripta, circumlataque tabella populo declarat. Atque ideo cunctis petentibus dimissum Androdum & pœna solutum leonemque ei suffragiis populi donatum. Postea inquit videbamus Androdum & leonem loco tenui revinctum, urbe tota circum tabernas ire, donari ære Androdum, floribus spargi leonem, omnesque ferè ubique obvios dicere. *Hic est leo hospes hominis, hic est homo medicus leonis.*

58. *Similis historia.*

Celeri admodum & cohibili oratione, vocumque filo tereti & candido, historiam scripsit Herodotus super fidicine illo Arione, Vetus, inquit, & nobilis Arion, candator fidibus fuit: is loco & oppido Methymneus terra atque Insula Lesbicus

Cc 2

fuit,

fuit. Eum Arionem Rex Corinthi Periander amicum amatumque habuit artis gratia. Is inde à Rege proficiscitur, terras inclitas Siciliam atque Italiam visere. Vbi eo venit: auresque omnium mentesque in utrisq; terræ partibus demulsit, in quæstibus istic & voluptatibus amoribusque hominum fuit. Is tum postea grandi pecuniâ & re bonâ multâ copiosus Corinthum instituit redire. Navem igitur & nautas & notiores amicioresq; sibi Corinthios delegit. Sed eo Corinthios homine accepto naviq; in altû profecta prædæ pecuniæque cupidos capisse consilium de necando Arione. Tum illum ibi pernicie intellecta, pecuniam cæteraque sua ut haberent dedisse, vitam modo sibi ut parcerent oravisse. Nautas precium ejus harum commiseritum esse illatenus, ut ei necem afferre per vim suis manibus temperarent, sed imperavisse ut jam statim coram desiliret præceps in mare. Homo, inquit, ibi territus, spe omni vitæ perditâ: id unum postea oravit, ut prius, quam mortem oppeteret, induere permitterent sua sibi indumenta & fides capere, & canere carmen casus illius sibi consolabile. Feros & immanes navitas proludium tamen audiendi subit, quod oraverat, impetrat, atque ibi mox de more cinctus, amictus, ornatus, stansque in summæ puppis foro, carmen, quod Orthium dicitur voce sublatissimâ cantavit: ad postrema cantus cum fidibus, ornatuque omni sicut itabat canebatque ejecit se procul in profundum. Nautæ haud quaquam dubitantes quin periisset, cursum quem capere cæperant, tenuerunt. Sed novum & mirum & pium facinus contigit. Delphinum repente inter undas adnatasse, & dorso super fluctus edito

dito vectavisse, incolumemque corpore & ornatu Tanarum in terram Laconicam devexisse, tum Arionem prorsus ex loco Corinthum petivisse, talemque Periandro Regi, qualis Delphino vectus fuerat sese obtulisse, eiq; rem sicut acciderat narravisse. Regem isthæc parum credidisse Arionem, quasi falleret, custodire jussisse, nautas requisitos, oblegato Arione dissimulanter interrogasse, ecquid audissent in iis locis, unde venissent super Arione? Eos dixisse hominem cum inde irent, in terra Italia fuisse, eumque illinc benè agitare & studiis delectationibusque urbium florere, atque in gratia pecuniaque magna fortunatū esse. Tum inter hæc eorum verba, Arionem cum fidibus & indumentis cum quibus se in salum ejaculaverat, extitisse. Nautas stupefactos convictosque ire inficias non quisse.

59. *Professiones vanas non esse suscipiendas.*

Cum audisset quidam esse in Italia montes aureos, summo cum labore & per ingentia pericula illuc contendit. Quo cum tandem pervenisset, reperit obsideri illos, & custodiri aurum à gryphibus, & montes esse inaccessos: deplorans igitur iter, tempusque perditum & se afflictum ambulando, ita cum dolore & labore aliquanto magis molesto quam accessionis fuerat, inanis domum revertitur.

60. *Amicos pristinos, licet ii pauperes fuerint, non esse contemnendos.*

Anno 1515. Thomas Volsæus in Anglia Regis sacellanus, Lansii filius, sed ingenio, prudentiâ, doctrina, & in rebus agendis industria excellens,

summum gratiæ & auctoritatis locum apud Regem, jam dudum adeptus, Cardinalis & Episcopus Eboracensis & cedente ei Gvilhelmo Varamo Cancellarius Regni à Rege ornatur. Has excellentes ingenii & fortunæ dotes superbiâ & insolentiâ facta inquinabat. Itaque vetus quidam ipsius familiaris & condiscipulus renovare cum eo veterem amicitiam, eaque frui cupiens: cum superbe ab ipso negante unquam sibi eum notum fuisse, reiiceretur: discedens *miseret me, inquit, istius Cardinalis, qui nec se ipsum, nec veteres amicos amplius novit.* Chytr.

61. *Cum latronibus caute esse agendum.*

Deprensam nemore in medio iussere latrones
De Christi Monachum religionem loqui,
Qui dicto citius (neque enim fas dicere contra)
Paret, & hoc fatus dicitur esse modo.
Acta manus juvenum terræ pelagique periculis
Hæc hæc quam sequeris ducit ad astra viam,
Namque vagabatur terraque marique nec uno
Narratur Christus consenuisse loco:
Tu quoque nunc illuc, nunc huc absque ordine
curris,
Hæc hæc non uno te videt una loco.
Non putrem curvo terram vertebat aratro,
Nec solitus terræ credere semen erat.
Vivebat tamen & vitæ nil defuit unquam
Hoc quoque vos estis commoditate pares;
Quid plura alta fuit tandem ad subsellia tractus
Damnatusq;: eadem vos quoque fata manent,
Ille cruci affixus vitam cum sanguine fudit
Non eritis credo vos meliore loco.
Umbrarum ille domus cæcæque cubilia noctis
Visit: & est vobis usta terenda via,

Ille

Ille tamen subito caelestia regna revisit,
Non dabitur vobis inde referre gradum.

Anton. Gaucanus.

62. *In hospitibus Italicis cavendam esse leporinam
carnem.*

Germanus quidam Italiam peragrans, Patavi-
um venit, atque in diversorio hospiti dixit, se feri-
nis & leporinis carnibus libenter vesci: hospes i-
gitur ipsi gratificari volens, catum sive felem ipsi
proposuit (est enim caro felina sapore similis
ferinae, & ab Italis etiam pro delicatiori fer-
culo apponitur) quo avidius comesto, ubi ser-
vus quidam ei fortè narraverat, quod de fele
comedisset: homo ille Germanus non assuetus
istis ferculis, in loco consternatus, mortem obi-
it subitam & inopinam *Kekerman. in Syst. phys.*
16.

63. *Latrones quandoque mirabiliter in poenas jus-
tas incidere.*

Cuidam Viatori in itinere interfecto, quod de
latrocinii auctore non constaret, manus resecta,
ac in carcere senatus Izechoensis ex tigno in fumo
suspensa est Tandem cum fortè fortuna post de-
cem annorum intervallum auctor cadis in eam
domum se recepisset, manus jam dudum exsan-
guis & arida sanguinem ex alto in mensam subje-
ctam stillare coepit. Ex quo conjectura facta est,
hominem latrocinii reum existere. Carnifex visa
senatui indicat. Hic hominē in vincula coniectum
examinat. Latro, evidens iudicium divinum agno-
scens cademque ante multos annos à se perpetra-
tam affirmans justam sceleris poenam, quam sibi

infligi ultro etiam petiit, persolvit. *Otto Meland. in locofer.*

64. *Non cui vis facile credendum esse.*

Pictor Apelles cum in sua peregrinatione maritima tempestatis vi Alexandriam delatus esset, quidam ejus æmuli subornarunt planum, hoc est, scurram Regium, qui eum vocaret ad tabulam cœnamque regiam. Is non suspicans dolum, venit. At cum Rex, qui illi erat infensus, indignaretur, & ostensis vocatoribus juberet indicari à quo vocatus esset: Apelles arrepto carbone extincto è foculo, imaginem delineavit in pariete, ut Rex protinus ex inchoato opere agnosceret planum suum. Eadem operâ & artis suæ & civilitatis suæ specimen dedit, gratiamque Regis sibi acquisivit *Brusonius lib. 5. cap. 23.*

65. *Non semper ex cultu externo mentem hominis esse metiendam, sed potius ex conversatione.*

Carthusiensis cœnobii Præpositus Bernharde Abbati, cum ille ad ipsum visendum equo vectus advenisset, ephippio nimis eleganti usum exprobravit. At tamen qui Deum magis quam equi phaleras animoolvebat, quale ephippium illud esset, cui insidens à Claravalle iter egerat, penitus ignorabat, & ab iis qui secum venerant, quale esset quærere cœpit. Tunc haud dubie apparuit magis illi curæ fuisse qualem animum efferret, quam qualem supellectilem. Non enim qualis quæque arbor sit folia ostendunt, sed fructus. *Sabbell. l. 4. c. 9.*

66. *Vestes esse imitandas atque gerendas pro loci, in quo vivitur, consuetudine.*

Eras-

Erasmus Roterod. Bononiam studiorum causa profectus, cum more Gallorum Presbyterorum togulam lineam supra vestem gestaret, in capitis periculum bis incidit. Nam cum eo tempore pestis Bononiæ grassaretur, & Chirurgus, qui eâ lue infectos curat, candido linteo ad levum suspenso humerum, insignis incedat, ut à fronte simul & à tergo ab omnibus conspici possit & evitari: qui nisi per deserta & avia loca incedat, saxis à plebecula impeti consuevit: lenones quidam Gallici habitus ignari, Erasmum ex candida fascia chirurgum esse arbitrati, strictis gladiis eundem aggressi sunt, quod per leoforum audacter incederet ægreferentes. Quod nisi intra proximam januam, quæ bono illius tato aperta erat, sese coniecisset, actum fuisset de illius vita. *Eras. l. 24. epist.*

67. *Lente esse festinandum.*

Divus Martinus aurigæ petenti an ea vespera Lutetiam pervenire posset, prudenter & propheticè respondit: si festines excluderis: si lento passu incedas urbem hac vespera ingredieris. Auriga indignabundus, tanquam à Sancto viro irrideretur, currum concitato impetu agere cœpit. Rota igitur iracta impeditus, Lutetiâ excluditur, ac verum Martini præfagium fuisse re ipsa cognovit *Theat. Zving.*

68. *Mendicos quos vis non esse negligendos, sed potius juvandos.*

Belisarius præfectus Iustiniani Imp. deletis Vandalis, acto de Persis triumpho, Italia à Barbaris non semel liberata, propter prosperos successus Imperatori formidulosus & suspectus factus est, ac propterea ab eodem oculis privatus. Quo

facto tuguriolum in via frequenti sibi statuit, ubi victum a prætereuntibus mendicabat, his verbis: Viator da quæso, obulum Belisaro, quem virtus extulit, cæcavit invidia. *Volat. lib. 23.*

69. *Homicidia non manere occulta, cumque ignoto atque tantum unico comite per sylvas. & suspecta loca non esse peregrinandum.*

Nobilis quidam Austriacus cum forte fortuna, ministro uno comitatus Viennam equo vectus peteret, & jam sylvæ cuidam appropinquaret, canes quos secum ducebat venatici, præcurrentes in sylvam ingentes præter solitum & frequentes ediderunt latratus, adeo ut Nobilis ministrum eomitteret, visendi gratia, num feram aliquam affecti essent. Reversus minister indicat, feram se vidisse nullam, verum canes ex tumulo editiori officula quædam pedibus eruisse, quorum aliquot inde secum adferret. Hæc cum essent supra modum candida, jussit nobilis ministrum asservare, in urbe ad cultrarium deferre ut inde manubria cultrorum fierent. Minister exequitur mandata heri sui, & ossa ista cultrario exhibet, jubens manubria cultrorum ex iis conficere. Faber iste, cum ossa illa acciperet in manus è vestigio largum incipiunt stillare sanguinem: quæ res tam ministrum, quam cultrarium vehementer perculit. Rem defert ad herum minister, qui nihil boni, illud portendere conjiciens, magistratui rem aperit: Hic cum ex cultrario causas hujus rei novæ & stupendæ quæreret, ille sine longiori mora fatetur ultro occisum à se ante annos 20. in sylva ista, unde officula ista allata essent, comitem suum, qui una cum ipso peregrinatus fuisset, idque prædæ studio. Nunc autem se animadvertere ossa ista comitis illi.

illius à se interfecti esse, seque nunc tandem mirabili Dei iudicio ad pœnam deponi. Petit itaque ut quam primum supplicium de ipso sumatur: ne morsus & dolores conscientiae ulterius tolerare cogatur. *Richt. in Axiom. Oecon.*

70. *In Diversorio tales discursus esse instituendos, quibus tam Herum, quam reliquos hospites oblectent, simulque Narratori benevolentiam conciliant.*

Duo Philosophastri in cauponam diverterant, cumque, ut fit, inter pocula de Philosophorum sententiis ac placitis inter sese commentati fuissent, præcipuè de Magno anno Platonis, post triginta annorum millia recurrente, quo exacto iidem in idè diversorium ad eundem hospitem essent reversuri. Quibus ita gestis, rogarunt hospitem talia auscultantem ut ad id tempus symbolum differret. Ad id facete hospes: Exacto, inquit, anno isto, videlicet ante 30. millia annorum etiam hic fuistis, & symbolo non soluto abiistis: itaque prius illud debitum exsolvite, & ego huius recentis solutionem differam ad futurum istum magnum annum, de quo dixistis. *Bebel. facet. lib. 2.*

71. *Lauitias aliis propositas, jocosè potius, quam importunè esse appetendas.*

Histrioni cuidam cum nobiles peregrinantibus in diversorio discumbenti, cum minutiores pisces appositi essent, ipsis autem grandiores, cepit histrio pisciculos multos contrectare, atque nunc ad os, nunc ad aures admovere, quædam secreto loquens, capit & tandem flere. Et cum nobiles, cur id faceret, interrogarent: Pater meus, inquit, piscator olim aqua submersus est, &

cum quæro ex pisciculis, annon uspiam viderint genitorem meum: respondent, se nondum ejus esse ætatis, ut hanc rem sciant, proinde interrogandos esse grandiores natu. Hoc cum intelligerent nobiles, dederunt ei etiam grandiores inquirendos, vel potius devorandos. Hoc enim captabat. *Bebel facet. l. 2.*

72. *Viaticum absque jactantia petendum esse.*

Vagus quidam Scholaris & falsus Magister, cum in peregrinatione sua eleemosynam, nomine septem suarum liberalium artium, à plaustrario peteret, tale responsum accepit: Ego quidem te longe sum doctior, ut qui uno tantum artificio manuario, me, septem liberos, & uxorem alo, tu autem te solum cum septem artibus non potes sustentare, sed mendicas. Abi ergo, & alium quære quem decipere possis.

73. *Prudentem non decere vitia corporis alteri obijcere.*

Rudolphus L. Imperator aliquando in declivi angustaque semita obvium habuit dicaculum quendam, qui ex semita cedere Regi à satellitibus aliquoties jussus, Regis, clamavit, Nasus viam implet, ut deflectere nequeam, (nasum enim Imp. habebat aquilinum) ad quod subridens Rex (alius inclementior bipennibus eum interfici jussisset) flexo in alterum latus naso, præterire eum jussit.

74. *Vota possibilis esse instituenda.*

Quidam periculofissime navigans clara voce, ne non exaudiretur pollicebatur Christophoro, qui est

est Lutetia in summo templo, mons verius quam statua, cereum tantum, quantus esset ipse. Hæc verò cum vociferans quantum poterat, identidem inculcasset, qui fortè proximus assistebat ille notus, subito tetigit eum, ac submonuit: Vide quid pollicearis, etiamsi rerum omnium tuarum aucti- onem facias, non fueris solvendo. Tum ille, voce jam pressiore, ne videlicet exaudiret Christo- phorus: Tace inquit, fatue: an credis me ex ani- mi sententia loqui? Si semel contigero terram, non daturus sum ipsi candelam sebaceam.

75. *Prius Heri heræve fidem explorandam, quam pecuniam illi concedendam esse.*

Miles quidam in civitate quadam Saxonica morbo correptus, grandem saccum pecuniæ hospiti, asservandum dedit. Cum autem convaluisset, saccum ab hospita (quæ avara admodum cum ho- spite consenserat, ut pecuniam se accepisse strenuè negarent) reposcit, quæ confidenter negat, se quicquam accepisse, imo & minari se simulat, illius impudentiæ, & invehitur in militem convitiis ra- biosissimè. Miles vicissim obiicit mulieri perfidi- am. Quare maritus defensurus conjugem, ex- trudit militem domo. Miles iratus, stringit gla- dium, & impetum in hospitem facturus januam frangit. Hospes implorat fidem civium, & que- ritur suas ædes oppugnari. Accurrunt lictores, & militem in carcerem abducunt. Fertur à Senatu oppidi sententia, ut miles extremo supplicio affi- ciatur. Cumque jam instaret dies Iudicii, venit Diabolus in carcerem ad captivum, indicans ei, quam sententiam Iudices laturi sint, & pollicetur se eum hoc periculo liberaturum esse, si se Diabo-

lo dedit. Miles, malle se mori, quam id facere respondit. Et cum veneris inquit in iudicium, dic te imperitum esse forensium negotiorum, & patrono indigere, ibi a stabo caruleo pileo tectus & ornato pennis, pete igitur, ut me iubeant causam dicere. Miles qui hoc sine impietate facturus videbatur ait se ita facturum esse. Postridie in iudicium ducitur, adest etiam Orator tectus caruleo pileo, ibi cum actor peteret, militem capitali supplicio affici, miles respondit, se imperitum forensium negotiorum, petere ut liceat isti suo advocato pro se dicere, concedunt Iudices, ibi Diabolus eruditè de Iure disputat, non esse capitali supplicio afficiendum eum, à quo non sit ortum rixæ initium, ait ab hospite militem vi extrusum esse, jubet quæri faccum pecuniæ & locum monstrat. Ibi hospes cum vehementer negaret, addens etiam imprecationes; ut ipsum Diabolus abreptum perderet si fecisset, & hoc aliquoties reperivisset. Ibi causidicus omnia disputatione adoritur hospitem, & comprehensum per fenestras ad medium forum, omnibus per horrescentibus, cum fragore abducit, nec postea unquam corpus hospitis inventum est. Ita Deus ejus perfidiam punivit. *Philip. in locis C.*

76. Deum quandoque suos mirabiliter è servitute & miseria liberare.

AB. Quidam Comes de Gleichen cum uxore suâ honeste vixit. Is cum à Turcis captus esset, in Turciam transvectus est, ubi cum diu in vinculis retentus rusticis operibus fatigaretur, accidit, ut filia Regis voluptatis causa exspaciaretur, & ibi fortè videret comitem, quem statim adit, interrogatus,

tus, qua ratione eo perveviffet. Inter colloquen-
 dum hominis forma ita delectata est, ut ipsum
 inciperet amare, dicit ei, si vellet ipsam ducere, se
 facile ex vinculis liberaturam, ac una cum ipso in
 Patriam esse profecturam. Cui ille respondit, in
 Patria sibi esse conjugem & liberos. At ipsa in-
 quit, id nihil obfatare, cum moris fit apud Turcas
 ut plures uxores ducantur. Tandem acquiefcit
 Comes pollicetur se fidem præftiturum. Tum Re-
 gina ftatim ut ex vinculis dimitteretur, efficit, &
 clam cum Comite abiit. Sic Comes liberatus,
 poftquam veniffet Venetias, invenit ubi fuum mi-
 niftum, ex quo cognofcit conjugem cum liberis
 falvam effe. His auditis, Comes Romam pro-
 ficifcitur, & rem omnem Pontifici exponit, quod
 videlicet alteri fidem dediffet, non ex petulantia
 aut lascivia, fed vitæ redimendæ caufa, cum ta-
 men prior conjunx domi fit falva & incolumis.
 Quare abfolutus eft à Papa, & acceptis ab eo li-
 teris revertitur domum. Redeuntem ftatim agno-
 fcit uxor, nihil offensa propter Turcicam Regi-
 nam, & amore magno profecuta eft ipsam, cujus
 beneficio chariffimum maritum receperat. Re-
 gina etiam facile tulit Comitiffam, ita, ut familia-
 riffimè inter fe viverent. De⁹ autem priorem con-
 jugem multa prole beatam facit, altera prorfus
 fterili permanente, quæ poftea fovit alterius li-
 beros. Horum monumentum adhuc hodie Er-
 phordiæ extat *Philip. in loc. C*

77. *Contra aeris temperiem atque famem corpus
 muniendum.*

Peruenfes peregrè profecturi rubro quodam
 bitumine faciem obliniunt, adverfus ventos, her-
 bamque ore claufam, (Cota ipfi appellant) velut
 pan-

panchrestum quoddam pharmacum circumferunt. Quippe ejus præsidio freti integrum diem, nullus nec cibi nec potus egentes iter faciunt.

78. *Frugalitatem & inhospitalitatem equo animo esse perferendam.*

Qui de sterilitate Hispaniæ dubius est, is utinam voti obligaretur eo proficiscendi, & hispitiorum degustandi delicias, si non aliud, saltem disceret ibi splendide esurire: disceret ventri importunè, obstrepenti aurè obturare, famè speciose dissimulare, & à prandio mox prodeambulàs, mantili fauces mundando calamoque dentes carnis non visæ pridem reliquiis exonerando, saturitatem disceret sobriè mentiri. Longe alia ibi hospitiorum est facies, quam in nostra Germania: quæ tamen hoc nomine à multis inhumaniter vapulat. Nam quod in Marchia Brændenburgica, Pomerania, Mechelburgia, & illa prisca Saxonia, (non loquor tamen de urbibus majoribus & elegantiarum amantibus) nostri Germani pro Gallorum, Italorum aut aliorum genio & ingenio parùm interdum sunt civiles; ut multà prece pretioq; multo sæpe non possit impetrari ab illis cibus potusq; id non regionis penuriæ, sed magis hominum militari disciplinâ viventium, qua olim singuli secum cibaria sua ferebant, severitati imputandum est. Sicuti & antiqua multis in locis hospitiorum in mensis lectisque frugalitas & tenuitas non ex delicatolorum & effeminatorum, quibus corpus nimis charum, judicio æstimanda est: ut Erasmus dicaculum dicere possimus, qui ex unius aut alterius cauponis rusticitate, cujus vultu fortè inerant tormenta, omnium aliorum diversorium dotes falso & improbè metitur: & Lipsius,

alii

aliique id genus κακοσώμαχοι non boni fuerint Stoici, qui VVestphaliam vocabant provinciam gregibus quam Regibus pascendis aptiorem, Scytharum eremiam, barbariam supra omnem barbariam barbaram; ac cognominabant ipsos VVestphalos, Suillios, Scrofas, Porcios, Pultiphagos, homines semi-homines; & eorum hospitia, haras: & Æneas Sylvius fide derogaverit qui omnem sordium & impuritatum sentinam in aulico Germanorum convictu collocabat; & tam spurca demensis & lectis illorum scribebat, ut de media Turcia vix potuerit spurcius, planè hospitiorum patriorum privatas sordes, cum ita scriberet, oblitus. Quippe in diversoria Italica peregrini Germani, plerunque egestatem ibi non sine tristi sensu mox & mirantur & oderunt: quos subinde jejunis squallentibusque epulis inter aviditatem & fastidium divisos tum tricliniorum situs, tum culicum cimicumque omnigenere infesta cubilia, acer demum diversitor & inclementis hospitii gravis merces multo cardolio & punctationibus devexare solent. Quanquam optandum fit, alicubi in nostra Germania diversoria esse plura, & interdum magis munda, & ad mores peregrinantium magis conformia; qua in re Galli omnibus aliis nationibus sine controversia præripiunt palmam. At in Hispania, quam omnia in barbariem abeunt! quam ipsum regionis exsuccum & aridū solum cum incolarum inhospitalitate certat? Pauci, pauci peregrini sunt, qui ibi diu morari cupiant: & beati sunt, qui miseram illam terram non viderunt, & crediderunt: tantum abest ut pro aliorum opinione sint pecuæes, qui Hispaniam non viderunt. Nam uti in Gallia, velis nolis, pecuni-

am

am profundes : ita in Hispania, si velis maxime, non tamen poteris. Magnæ passim solitudines; magna passim armentorum, pabulorum, herbarum, lignorum, & aliarum rerum necessariorum inopia ut viatores sæpe pro tecto cœlum, pro cibo famē, pro potu sitim inventiant aut si bona fortuna offendant diversoriū, sæpe numero in illo nec comedendi, nec dormiendi habeant copiam, & ita plerunque reperiant prandium cœnamve dubiam, dubii incertique an jejunare cogantur : Et tamen umbra cœnæ lective tanti constat quanti in Germania aut Gallia magnificentum epulum : ut terra vel flumina in Hispaniis ideo aurifera nominari possint, non quia ferant, sed quod auferant aurum. Quælibet autem Hispanica civitas fere unum saltem habet diversorium : in quod dum divertis, invenis Arietis cornu parietis annexum, ad quod jumentum, si quod habes, religas tuum : deinde tibi dicitur, si aliud quid petas : *vade ad forum*. Quod si roges, ut vel famula vel famulus tibi commodetur, te operam remuneraturum; mox audies, *vade tu ipse, opus habeo famulatio meo*. Neque est quod avenam, paleas aut fœnum petas : istis caret Hispania. Hordeum emere poteris, & equo tuo dare. Terram prostraro boni consules : pro lecto vel culcitramattam à vicino forsitan emendicabis pretio : tibi coquus, tibi famulus eris, vix oleum & acetum prætereaque nihil habebis in hospitio. Et audite amplius audite alibi inauditam inhospitalitatem, & egestatem. Cum Fridericus II Elector Palatinus cum aulico XX. tantum hominum comitatu ad Imperatorem Carolū V proficisceretur in Hispaniam, etiam Cerveram (oppidum est) venit; ubi die Corporis Christi quiescere constituebat, ut
equi

equi æstu nimio defatigati reficerentur: sed loci magistratus statim Principē accedebat rogabatq; ut maturè discederet cum suis; nec panis vini, & reliquarum rerū annonam longiori morā redderet cariorem. Promoto ita itinere, venit ille Gomorrā, urbem non inelegantem; cumq; edendi appetitū diurni caloris vehementiā corruptū patrio aliquo & familiari cibo reparare discuperet, interrogat in hospicio, num venale reperiat butyrū: & annuente caupone, atq; satis reperiri confirmante, conversus Princeps ad dispensatorem ait; vade & eme butyrum, quantum uni mulæ onerandæ sufficiet, & ut cottidie ova frixa habeam, cura. Iste cum dicto abire sciscitaturus de butyro, & ductus ad aromatarium poscit ducentas vel trecentas libras: sed hic admirabundus: *Atqui, inquit, tota Castilia non suppeditaret tantum: in Estremaduram tibi foret eundum, ubi sunt boum armenta: in his terris nihil herbarum crescit: & nos alibi emimus, pro emplastris ad ulcera conficiendis; alias nobis nullus est butyri usus:* & simul attulit capellæ vesicam axungia potius, quam butyro plenam, & ibi esse omne suum butyrum dicit: Quod cum dispensator ita renunciaret Principi, fuit id solutioris cachinni argumentum. Eadem vero hospitiorum difficultas toto itinere, Principem comitabatur: qui cum Marescalcum præmisisset Granatam, illic de hospicio prospecturum; reversus est denarrabat non aliter potuisse obtinere, nisi ipsemet Imperator rogaret civem aliquem, qui agrè etiam advenas, in ædes admittere promissit, in quibus tamen neglectus, nec stramen erat. Et quia Imperator Principi extra Granatam honoris causa obviam ire volebat, Princeps propterea in pagum

Alla-

gum Allabalath dimidio milliari ab urbe distan-
tem, & ibidem in domum per metatores Cæsari-
osejus mansioni destinata[m] concessit. Sed quid
fit? dominus domus sub tempus cœnæ superve-
nit ex Granata cum tribus famulis armatus & ha-
stus, Principem cum suis Germanis inde extur-
baturus, vociterans, *edes ad se, non ad Imperatorem
pertinere*; neque ab illo quicquam epidemetici
impetrare poterant; donec prodiit Princeps, cu-
jus augustam faciem intuitus importunus nebu-
lo, tandem conticuit & acquievit. *Thom. Lansius
in orat. contra Hispan.*

79. *Frugalem cœnam quandoque boni consue-
dam esse.*

Quidam peregrè iter faciens, ad meritoriam di-
vertèrat. Apposita est ei cœna, omni ex porte o-
litoria, vinum item dilutissimum. Omnia demum
administrata parcissimè. Postquam autem cœna-
vit, iussit vocari ad se medicum, ad mercedem ca-
piendam. Igitur caupo cum respondisset, Ec-
quid (malum) in viculo maxime agresti, medicum
requiris? Ibi ille, numne ò bone te ipsum igno-
ras? Quo sit igitur merces operæ suæ par, medici
precium accipe, non cauponis, quando ut agro-
tum me pavisti in cœnula.

80. *Cubile mundum esse eligendum.*

Quidam peregrè proficiscens, in cubile incidit à
cimicibus simul, plurimoque à pulice infestum.
Itaque ubi paulum modo quievisset, excitatus ab
illorum aculeatissimis demorsuunculis, evocato
caupone, petiit falcem sibi ab eo adferri. Cum
ille, quam ad rem ea opus esset percontaretur.
Qua i. uam, excidam senticetum, quod mihi no-
cte

Et hac excidendum locasti. Sentes & spinas ad cimices transtulit ac pulices, cubile autem ad senticetum.

81. *Sylvas ignotas & periculosas non nisi cum comitibus sufficientibus transeundas esse.*

Fraterculus quidam apud S. Grymanum (est locus in Alsatia) in cellula rumosa & solitaria habitans, jam à multis annis, sub prætextu religionis preculas pro vivis & defunctis submurmurare, eleemosynas ab omnibus cumularissimas accipere solitus. Accidit autem, ut bellus ille frater, latronibus & prædatoribus sese, ob lucellum aliquod associaret, diverticulum tutum, & nocturnum quidem, illis præbens. A cellula sua non longè diversorium publicum aberat, domus solitaria, in ea, sæpe convivata latronum grex. Prætergredebatur fortè fortuna lanio quidam, onustus ingenti pecuniarum summa. Vbi nebulones lanionem conspexissent, vocarunt se optimum habere vinum, & frigidum inquit, ut cum eis haustum sumat, clamore quodam invitarunt. Parum renuit lanio, ut pote animus illius nihil boni præfagiens. Tandem post multas preces, dixit se vellevire. Er descenso equo, quem seruo suo dederat custodiendum, ascendit per gradus ad lanionem. Nebulones mox, Satana instigante animos illorum, coeperunt hominem objurgare, scelera enormia objicere, perjurum vocare & furem. Contra ille negare, se defendere, tale quid, quod objiciant, nunquam in animum induxisse, taceo designasse. Errastis fortasse inquit: Nemo unquam ulli⁹ mali incusavit me ab ineuntate ætate. Reor vinum in causa esse hujus erroris. En, inquit.

quit, pecuniâ vos dono, quo diutius possitis con-
vivari mihi alia sunt negotia peragenda. Et cum
abitu pararet, illi irâ incensi, lanionem retraxe-
runt, & evaginatiis gladiis, simul omnes in lanio-
nem irruerunt, impetu quodam, hinc inde vulne-
rantes. Tandem hospita, horum nebulonum insti-
gatrix, prorumpit ex conclavi: Cur inquit, ita ho-
minem pessimum tam misere perdere, tam crude-
liter interimere conamini. Et cultro quo armata e-
rat, extracto, transfixit latus illius adeo vehemen-
ti ictu, ut miser in terram caderet. Clamore illo
audito servus lanionis, cum equis, cursu celeri, in
proximum oppidum se coniecit. Quidnam actû
fit in hoc diversorio, quidve audiverit, querula vo-
ce, lachrymis stillantibus detonabat. Mox accur-
sum est à vicinis (sol enim jam declinabat) locis,
& diversorium illud obsidebatur à viris armatis.
Quidam ingressi, nam obdormierant omnes, re-
lictò lanione mortuo in hypocausto, strepitum
magnum & clamorem ediderunt: Heus hospita in-
quiunt, prodi. Cibo & potu indigemus, ubi lates?
Vix excitata clamore illo, egressa iracundo vultu,
hos armatos viros intuens, quis inquit, clamitat,
meq; è dulci somno excitat, & noctu quidem. Cur
ausi estis fores effringere, & sic intrare? Cur non
pulsastis more consueto? Hoc latronum est, non
proborum virosû indicium. Ne hoc, dicunt, cures,
aliud in animo volvimus. Dic, quales hospites hac
nocte es nacta? Quis nam ille, qui hic tam miserè
transfossus jacet. Habes ne speluncam latronum,
in ædibus tuis? hospita ne verbulum præ timore
eloqui potuit, adeo perculsa erat metu. Compre-
hensa cum reliquis interfectoibus, qui aderant, &
abducta in proximum oppidulum. Fraterculus ro-
ta punitus, fractis omnibus membris Domus illius
diru-

diruta, qui sex homicidia perpetravit. Et alia multa scelera, quæ non sunt dicenda, designavit. Reliqui in vinculis diu detenti, & tandem puniti. Tales fraterculi, ob insignem hypocriticam sanctimoniam fovendi, alendi & adorandi, & à mulierculis venustis & garrulis consulendi. O stulti aperite oculos, & recto iudicio iudicate hos impostores, & pessimos nebulones.

82. *Similis Historia.*

Simile quid contigit in Hercynica sylva, per eundem farinae hominem, licet non adeo crudele sit factum, tamen non tolerabile, & poenâ immani dignum. Qui annis multis religiosissimè vixerat, in loco sylvofo, segregatus ab hominum commercio, raro pagos adibat alimentum conquirens. Nâ sua humanitate ac blanditia quadam sermonis multos in sui amorem rapuerat. Orabat per totum diem, cum hospites haberet, & collaudatores sui instituti. Pane & aqua victitabat, sed scelus enorme, quo pollutus erat, hac vafricie occultans, tandem in illo deprehensus & combustus. Dicis, quidnam designavit tam sanctus fraterculus? Accipe paucis. Quum puellæ aberrantes vaccas, in arbutis fortè hærentes, quærerent, perreptarentq; per invia loca, fraterculus astutus nolam vaccis subtraheret, seque in arbutum conjiciens, nolaque sonans. Audito sono puellæ simplices, mox plenæ gaudio adrepebant, vaccam aut vitulum illic hærentes arbitantes. Mox furibundus & libidinosus frater, inspecta puella, in sinum gaudens, & blando alloquio salutans, & cū assentire nollet vim inferebat. Quædam illū laudabant, sæpiusq; vaccas deviantes quærebant. Quædã pudore absterritæ, aufugiebāt, nihil mali de fraterculo suspicantes, an
spe-

spectrum aut satyrum quendam esse arbitrantur. Tandem flagitiosa illius scelera detecta, captus à præfecto illius regionis, fassusque sine tortura, se ad annos duodecim, hunc morem habuisse in arbustis cum puellis & foeminis congregandi. En sanctitatem illorum pharisæorum, homicidarum. Combustus est miser in sua cellula, cum omnibus quæ possidebat, in perpetuam hujus rei memoriam.

83. *De Peregrinatione periculosa Erasmi Roterodami qua docemur quomodo siccariorum machinas eludere, & à latronum manibus astute evadere possimus.*

Pridie Calend. Februarias Ambianos pervenimus, bone Deus, quam duro itinere. Iuno, opinor, aliena rursus Aeolum in nos excitarat. Ego cum jam de via ita essem affectus, ut morbum etiam metuerem, cœpi de equis conducendis cogitare, non paulo præstare ratus, corpusculo quam numulis parcere. Et hic sunt ad perniciem secunda omnia. Dum diversorium solitum peto, obiter fortè ædes prætereo quasdam, equis locandis inscriptas. Ingredior, advocat^r locator, homo effigie & habitu ita, ad amussim. Mercurium referens, ut mihi primo quoque congressu furis suspicionem dederit. Convenit de mercede, conductis duobus equis. Iter sub vesperum ingredimur, comitante juvene quodam, quem generum suum esse ajebat, qui jumenta domini referret. Postridie ad viculum quendam, cui divo Iuliano nomen est, perventum est, & quidem multa adhuc luce loco latrocinio destinatum, Ego, ut pergeremus hortabar. Ille latronis discipulus causari, equos non esse supra vires defatigandos, satius esse illic pernoctare.

no
re
et
coe
no
ri e
ado
teli
ing
an
Et
stan
tun
qui
mul
ma
mir
exp
adfe
rem
man
accu
tunc
tum
inco
stup
prot
agere
hom
dere
bant
anis
roga
Subi
mon

noctare, ac postridie id dispendii, anticipata luce, resarcire. Non repugnabam magnopere, nihil etiamnum sceleris suspicans. Iam propemodum cœnaveramus, cum ministra juvenem illum, una nobiscum accumbentem, à convivio sevocat, alteri equo nescio quid mali esse dictitans. Discedit adolescens, sed eo vultu, ut aliud nunciatum intelligeres. Ego continuo puellam revocans. Heus inquam filia, uter equorum malè habet, meus ne, an hujus? Nam aderat Anglus itineris mei comes. Et quid tandem est mali? Illa conscientiam constanter dissimulare non valens subrisit, & figmentum confessa, venisse notum quendam ajebat, qui juvenem ad colloquium evocasset. Nec ita multo post, locator ipse, qui jugulos nostros victimæ destinarat, cœnaculum ingreditur. Nos admirati, rogamus, quidnam accidisset, quod tam inexpectatus atque improvisus adesset. Ait rem adferre flebilem, filiam suam, ejus juvenis uxorem, ita ab equo calcibus percussam, ut jam animam propemodum ageret, tumultuario itinere sese accurrisse, ut eum domum revocaret. Mihi jam tunc commentum obolere cœpit. Vtriusque vultum & gestus curiosius observo. In locatore illico inconstantiam quandam animadverto, in juvene stuporem, qui è regione accumbebat. At mecum protinus Ciceronianum illud. *Nisi fingeres, non sic ageres.* Iam nihil agendum, putabam, nisi ut ab homine absolverer, quippe qui nihil usquam viderem, quod non latrocinium saperet. Augebant antea etiam suspicionem, quod quum Ambianis de mercede convenisset, ille data opera, me rogavit, quas nam esset pecunias accepturus. Subito aderant, nec scio, unde emiserant, qui sermonibus adjuvabant fabulam. Mihi laudabant

L. II. P. P.

Dd

loca

locatorem, gratulabantur de tali comite, me vicissim locatori commendabant. Rogabat semel atque iterum locator, ecquem haberem postulatam, id est, nomisma rarius. Nego mihi esse. Deprompsi scutatatum unum atque alterum, qui tametsi satis probarentur, tamen blandius efflagitabatur è multis quos habere me putabat, unum aliquem bellissimum darem. Est enim hoc hujus sceleratissimæ artis caput, explorare, quantum quisque viator secum portet. Ostendebam, quos tum habebam, è quibus ille bellissimum sibi retinuit. Accedebant ad maleficii conjecturam quædam, à juvene in itinere dicta ac facta, quæ consilio soceri, de composito, præparata videri possent. E duobus equis alter erat ignavissimus, ut in fuga nihil futurum fuerit præfidii. Is cui ego infidebam, in colle vulnus ingens habebat, adhuc unguentis oblitum. Non ita procul aberamus ab urbe, rogat juvenis, sibi liceat à tergo meo in lumbos equi conscendere jumentum asvetum ferendis duobus ne quid metuerem, equo. Sero, inquit, exivimus, hoc celerius perveniemus. Passus sum. Oritur sermo, variis de rebus, sic loquitur de socero, quasi non optime de illo sentiret. Est & hoc unum de latronum mysteriis. Interea crumena mea defluit in tergum: inerant autem octo fermè coronati aurei. Is reponit ad umbilicum. Rursum defluentem reponit, admonens, ut crumena semper sit in oculis. Ego ridens, quorsum inquam, attinet servare vacuam? Obscurâ jam nocte, nemus quoddam emensi, tandem in vicum quendam emerimus. Juvenis circumspetans, fingit se nescire, ubi nam locorum esset, ducit nos in ædes, nescio quas. Iubeo, ut juvenis ipse

ipſe ſe curēt, ſuo more, nos utrique jejuni cubi-
 tum imus. Anglus hoc religioni dabat, ego vale-
 tudini. Nam graviter è ſtomacho laborabam. Ac-
 cedit mulier, nobis, ut putabat, altum dormienti-
 bus, multa cum ignoto illo, ut ſimulabat, juvene
 familiariffimè collocuta eſt. Tandem juvene ſub-
 monente, reliquus ſermo ſibilis peractus eſt, ut
 exaudire non poſſem. Ante lucem extrudo eos
 ad iter. Toto itinere, tracto juvenem ſane comi-
 ter. Vbi perventum eſt ad oppidum, cui nomen
 Claro monti, paro ingredi, non illic acturus no-
 etem, ſed aurum commutaturus, ne quid ea res eſ-
 ſet in mora in vico pernoctantibus. Diſſvadet ju-
 venis, affirmans ſibi ſatis eſſe monetæ argenteæ.
 Itaque ad lævum, oppido relicto, pergimus. Iam
 vico proximi cum eſſemus, fortè præceſſerat An-
 glus una cum juvene, ego ſequor, ſicut meus eſt
 mos, nescio quid meditans nugarum, & totus in
 illis. Interim imprudente me, descenderat An-
 glus: Juvenis adduxerat equum ad fores, ubi nun-
 quam fuerat diverſorium. Vbi ſenſi, demirror, quid
 cogitet. Ille circumſpectans, negat ſe illic intra
 quatuor decim fuiſſe annos. Rogat, quod mihi
 placeat diverſorium: Quid ſi huc, inquit, diver-
 tamus? Et oſtendit domum deſtinatam. Non
 abnuo, memor, quod illic olim ſat commode ac-
 ceptus fuiſſem, ſed ignarus hospitem eſſe muta-
 tum. Datur ex more cubiculum. Apponitur vi-
 num, ſed male reſpondens palato. Atqui vix era-
 mus ingreſſi cum video ignoto illi juveni; in culi-
 na vinum in vitro appoſitum, eo colore, ut mihi
 gratularer. Hac igitur ſpe fruſtratus descendo,
 expoſtulo cum hospite. Mutatur vinum. Hæc
 jam tum mirabar magis, quam habebam ſuſpe-
 cta. Quare ut ad intermiſſum narrationis ordi-
 nem

nem redeam, jam certa suspicione latrocinii, id agere coepi, ut me cultro subducerem. Quid igitur tibi, inquam, in animo est? Ego inquit, fortassis vos Parisios portabo, verum huic genero planè domum est recurrendum. Imo inquam, commodius dabo consilium? Quando casus tam acerbus vobis accidit, ut tu filiam, hic uxorem prope perdiderit, illud vestra causa faciam. Habes à me scutatam sole insignem, restant pass. quatuordecim millia, diminue de ratione mercedis, quantum de itinere superest, ac redite. Nos reliquum iter aut pedibus conficiemus, aut equos mutabimus. Caput quatiebat homo. Deinde discedit, juvene relicto, mira latrocinii peritia, ut quid nobis esset sententiæ, per hunc expiscaretur. Hic ego accito adolescente: Heus inquam, quæso, verum dicas. Quidnam de uxore tua? cedo. Confessus est rem commentitiam, verum socero necessarium esse iter Parisios, ut creditum repereret. Nequid, inquit, illius oratione commoveare. Quin vos cras, summo diluculo, equos conscendite, nos utrique consequemur. Atqui non temere est, inquam, quod nos, tanto itinere, tam repente assequitur, & quidem noctu, tum die tam sacro. Erat enim postridie Virginis matris purgatio, Et quorsum, inquam, attinet tot concinnare mendacia? Iussit me adolescens bono esse animo se omnia ex mea facturos esse sententiâ. Quod si ille quid gravetur, inquit, non deseram te, donec mihi rumpatur cor. Atque hæc vultu ille stupido. Ita ad simulabat sese, tanquam fur- tim mihi contra socerum studeret. Deinde descendit & ille, quid nisi ut præceptoris suo renunciatet. Interea solitudinem nactus, Anglum ro-

go, quid tandem ipsi videretur. Is præter latro-
 cinium paratum nihil se videre respondit. Ac
 quid, inquam consilii? Iam nox erat profunda.
 Venit interea cauponaria, lectos instratura. Ro-
 go, ubinam essemus cubituri? Lectum ostendit.
 Tum ego, est mihi inquam, quid nugarum transi-
 gendum cum hoc meo comite. Sine nos in hoc
 cubiculo cubitare solos, dabitur merces utroque
 pro lecto. Ibi venifica mulier, & quid ageretur
 haud ignara, primum svadere cœpit, ut una potius
 cubarem, eos esse viros probos, nec causam esse
 quo minus illos in cubiculo dormire vellemus: si
 quid inter nos haberemus communicandum, id
 sermone nostrate licere fieri. si pecuniæ nostræ
 timeremus, illic servandam committeremus, o-
 vem (ut ajunt) lupo. Et ut malefica dignum e-
 rat, manifestaria vanitate, reliqua cubicula jam
 hospitibus occupata e mentiebatur, cum præter
 nos, nemo in illius ædibus esset hospes. Quid mul-
 ta? Argumentis victa, obstinate sese id facturam
 negabat. Iubeo, fores igitur aperiat, ac nos ali-
 qua ejiciat. Ne id quidem se facturam affirmat.
 Descenditq; irata, ac submurmurans, & homicidæ
 illi rem omnem denunciat, me de gradibus subau-
 scultante. In Anglo nihil erat neque animi, ne-
 que consilii, nec lingvæ. Nam Gallicè prorsus
 nesciebat. Mihi primum illud visum est esse con-
 sultissimum obice ferreo occludere, cubiculi osti-
 um, objecto & ingenti scamno querno. Verum
 id consilium mox displicuit, reputanti, nos in tam
 vastis ædibus solos objici pluribus. Et jam mul-
 ta nox erat, nec usquam vociferatio potuisset ex
 audiri nisi qua parte cubiculum spectabat viam
 publicam. At illic obstabat templum monaste-
 rij, cujusdam, Interea dum circumspicio melius

aliquod consilium, nec satis occurrit, puella pulsat fores. Ego clanculum submoto scamno, rogo, quid velit? Respondit, nescio, quid afferro, sed voce alacri. Aperio fores, blandior, & alludo puellæ quo metum dissimulem. Sedemus interim tanquam duæ victimæ, mactatorem expectantes. Convenit tamen inter nos, ut otiose sobrieque fabularemur ad ignem, absque potatione, donec indufiati caligatique vicissim dormiremus, ac vigilaremus. Paulo post ingreditur bonus ille vir, tanquam omnium rerum ignarus, observo hominem oculis diligenter. Quo fixius contemplor, eo certius latronem video. Qui cum tandem se, una cum suo tyrone, lecto composuisset, consequimur & nos. Nec ea nocte quicquam sensit, nisi quod experrectus Anglus gladium, quem ad pulvinum locaverat, longe amotum in extremum usque cubiculi angulum, reperit. Nam duobis nobis unicus duntaxat erat ensis, ac chirotheca loricata. Hæc erat nostra panoplia. Ego multo ante diluculum consurgo, fenestras ac fores cubiculi aperio. Iam lucefcere clamo, strepo, familiares expergefacio. Dum finem non facio, ibi latro voce, quam diceres esse non somnolenti. Quid paras? inquit. Vix dum est hora noctis undecima. Ego contra clamo cœlum esse densissimis obductum nebulis, mox clarum diem emicaturum. Atque hæc potissimum in fenestris. Quid multis? Adiçrtur lucerna. Interea, ut observarem, quid ageretur in inferioribus adibus, decuro obambulans ac circumspectans. Offendo latronum equos stantes, ephippiis impositis quomodo necesse eos erat totam steterisse noctem, cum præter modo excitatam puellam, nemo non esset

in

in stratis. Tandem surgunt & nostri carnifices. Ibi res quæpiam incommoda, ut videbatur nobis saluti fuit. Nihil enim latronem illum excitaverat, nisi quod nos quam pecuniosissimos esse existimaret. At hæc una res illi fidem facere potuit, nos tenui pecunia esse. Minusculum erat argenteæ pecuniæ, quam ut cauponi, pro cœna atque equis omnium, satisfacere possem. Aut igitur, ille aureum mutaret, jussi, aut locator meo nomine, quinque duodenarios (tantum enim deerat) redderet, apud divum Dionysium à me recepturus. Cauponaria neq; sibi lances domi, neq; qui mutarer aurum esse jurabat. Latro ille ait se ea quidem lege facturum, si sibi aureum pignoris loco tradidissem. Hortabatur impendio, id ut facerem, cauponaria mulier ut scelestæ ita & impudens & stulta. Vnde multa & longa inter nos rixa? Poscebam mihi fores aperiret, me ipsum mutandi auri causa, monasterii Priorem, quod è regione est, aditurum. Illa negabat. Rixatum est ad lucem usque. Tandem jussi sumus aurum quod mutatum vellemus, proferre. Protuli. Ibi alii nummo pondus deerat, alius adulterina materia dicebatur, alius parum solidus: hoc nimirum consilio, ut si quid reconditi esset auri, id proferre cogeremur. Ego cum sanctè adjurasssem, mihi præter eos, nullos esse aureos. At comitem, inquit, quin tu suos proferre jubes? video enim illum bellè esse nummatum, idque jam blandius cœpit poscere. Ego vero vultu & voce ita, ut solent, & vera & ex animo loquentes, nihil comiti, præter syngrapham esse deiero. Profertur denique libripens, prodit & caupo. Ibi libratum est sesquihoram. Nec aureus erat, cui non aliquid scrupulorum deesset. In aliis deerat ponderi, in

aliis causabantur materiam. Animadverti tandem & lancibus subesse fraudem & ponderi. Et forte fortuna id quod erat gravius, manu corripio, caupone etiam, imprudente. Reliquum erat, ut altera ponderaret. Et repente veraq; lance aureus praeponderabat. In utramcunque lancem translatus esset, eum inclinabat. Erat enim nummus pervetustus cui supererat ultra legitimum pondus, ut in his decrescunt omnia. Iam jugulis nostris utcunq; consultum erat, nihilq; agebatur, nisi ut lucelli aliquid per calumniam abraderent. Tum latro ille, spe propemodum frustratus sua, vel quod parum magnifice nos nummatus intelligeret, vel quod se jam in certam suspitionem nobis venisse videret, meque nonnihil etiam minitantem, denique quod jam multus esset dies, cauponem sibi perquam familiarem, à nobis se vocat. Quonam? inquis. In thalamum ipsum, si diis placet, in quem latro ille solum se receperat. Vide, ut propemodum sit inter fures, quam inter reliquos mortales, fides major atque humanitas. Aureum inter sese mutant, pro coena & equis retinent, quantum libuit. Accepi viginti tres denarios, equidem latus. Tum metu, quantum mea fert simplicitas, dissimulato. Quin inquam, equos concidendimus? Stabat etiam non otiosus locator ille. Quid tibi, inquam, in animo est? Cur non hinc fugimus? An ire ne nunc quidem paratus es? Non sum inquit, nisi universam summam reddideris. Et quantum tandem poscis? inquam. Nam supra scutatam, tres ad illum duodenarii redibant. Poscit impudentissimè, quantum libitum erat, & quantum poscere conveniebat impudentissimum latronem. Duc, igitur inquam,

quam,

quam, ita ut recipisti, me Parisios satque illic ratione inita, quod tuum erit, accipies. At ille Quidam inquit, mihi Parisiis des, qui hic etiam mecum pugnas? Sapiebat, non passus est, se à suo latrocinio extrahi. Nam à me quidem ista fingebantur, quippe cui nihil minus fuerit in animo, quam cum carnificibus illis itineri me committere. Paulisper rixatus, cum ille nihil se commoveret, ad sacrum me ire fingo, verum rectà transmissio flumine, Parisios peto. Nec prius latronis sicam timere desivimus, quam Dionysius nos mœnibus suis exciperet.

84. *Iniquas Hospitas inique esse remunerandas.*

In quodam diversorio duo Germani pernoctantes, cum matrona nimium exposcere visâ esset pro victu, & illos insolitæ exactiois admiratio caperet, dicente uno, ad maximum tanti vendi potuisse vinum, tanti carnes, & tantidem alia obsonia, excedente nihilominus petiti æris quantitate, id audiens matrona. Residuum dabitis pro lecto. Ad quæ verba tetricum sane intuens ille, sed clam correptus à sodali, ob vile venditum lectum, conticuit, ad eum, qui corripiebat, inquit: Lectos ego nunquam vidi minoris vendi. Nosti, quod dominæ nostræ plus minus octo aut decem aureis comparantur. Itaque die postero institutum iter ingressuri, profcindunt, plumis vento commissis, quod indignum videretur, avarissimæ mulieri rem semel emtam relinquere, cum aliis rursus vendi per occasionem possit.

85. *Beneficum Hospitem, benefice esse remunerandum.*

Ludovicus Galliarum Rex, ejus nominis undecimus, quum rebus domi turbatis, peregrinaretur, apud Burgundiones, occasione venationis, nactus est familiaritatem cum Conone quodam, homine rustico, sed animi simplicis ac sinceri. Nam hoc genus hominibus delectantur Monarchæ. Ad hujus ædes frequenter diverterat rex ex venatu, & ut plebeis rebus nonnunquam delectantur magni principes, apud eum magna cū voluptate vescabatur rapis. Mox ubi Ludovicus restitutus, jam rerum potiretur apud Gallos, submonuit Cononem uxor, & regem veteris hospitii commonefaceret, adiret illum, & rapas aliquot insignes illi dono adferret. Tergiversatus Conon se lusurum operam, principes non meminisse talium officiorum. Sed vicit uxor. Diligit Conon rapas aliquot insignes, accingitur itineri. Verum ipse per viam captus illecebrâ cibi, paulatim devoravit omnes, unâ duntaxat excepta, insigniter magna. Vbi Conon prorepisset in aulam, qua rex erat iturus, statim agnitus est à rege, & accersitus. Ille cum magna alacritate detulit munus, rex majore cum alacritate accepit, mandans cuidam è proximis, ut diligenter reponeretur inter ea, quæ haberet charissima. Cononem jubet secum prandere. A prandio egit Cononi gratias, & cupienti repetere rus suum, jussit pro rapa numerare mille coronatos aureos. Hujus rei fama quum, ut fit, per omne regis famulitium esset pervagata, quidam ex aulicis dono dedit regi equum non inelegantem. Rex intelligens illum provocatum benignitate, quam præstiterat Cononi, capturi prædam, vultu majorem in modum alacri accepit munus. Et convocatis primoribus, consultare cœpit, quo mune-

re

re pensaret equum tam bellum, tamque preciosum? Interim qui donarat equum, spes opimas animo concipiebat, sic cogitans: si sic pensavit rapam donatam à rustico, quanto munificentius pensaturus est equum talem, oblatum ab aulico? Quum regi, velut de re magna consultanti, alius aliud responderet, diuque vana spe lactatus esset captator, tandem rex, venit, inquit, in mentem quod illi donem. Et accersito ex proceribus quopiam, dicit in aurem, ut adferat id, quod reperiret in cubiculo, (simulque locum designat) serico diligenter obvolutum. Adfertur rapa, eam ut erat obvoluta, rex sua manu donat aulico, addens, sibi videri benè pensatum equum cimelio, quod sibi constitisse mille coronatis. Digressus aulicus, dum tollit linteum, pro thesauro reperit, non carbones, quod ajunt, sed rapam jam subaridam. Ita captator ille captus, risui fuit omnibus.

86. *Peregrinos debere officiosos esse in Hospitio.*

Philoxemem Achaëorum dux, præcipuè inter Græcos clarus, erat diversaturus ad hospitium veteris amici. Quo cognito, jussit hospes apparari, quæ necessaria essent alia, ab uxore, dum interim obsonium ipse appararet. Hæc inter, Philoxemem solus (ut ipsa res ferebat) ad hospitium properat. Quem venientem ad hospitandum, ut solum, ut deformem, ut qui nihil ornatus haberet eximii, arbitratur mulier ex administris esse aliquem, qui horum præveniret, cum esset de adventu Philoxeminis mirificè sollicita, etiam blandiens rogavit eum, se ut adjuvaret, ad dominum comiter accipiendum. Tum Philoxemen, ut erat perhumanus, cognito mulieris errore, confe-

stium securi accepta & cuneo, capit ligna findere, ad coquendam cœnam, hospes interim in domum ingressus cum animadverteret Philoxemenem findendis lignis malleo incumbere, pro Iupiter, inquit, quid hoc Philoxemen? Pro pudor Deorum atque hominum, quid agis dux maxime? Vultumque de dolore simul atq; pudore dimisit. Ad ea Philoxemen, maxima cum iucunditate, *pro deformitate*, inquit, *oris, totius corporis pœnas luo*. Voluit ipsemet præbere de se & risum hospiti, & sibi ipsi ridiculus esse. Res sane festivo ac faceto homine digna, quæque quo rarior, eo etiam fuit lepidior.

87. *Deum punire infidos & perfidos caupones.*

In oppido dicto Rithlinga, caupo hospiti abnegavit manticam, in qua erat bona summa pecuniarum. Vocatus in jus, pernegavit se accepisse. Cogitabatur de deferendo iurejurando, quoniam res sine testibus erat acta. Hospes erat paratus ad perjurium, qui jam ultro execrabatur sese, si manticam accepisset. Prætor deliberationem petiit, an vellet deferre iusjurandum. Egresso curiam, occurrunt duo viri, rogant, quid illic agatur? Narrant rem. Quid inquirunt, si nos tibi hac in causa feramus suppetias? Annuit. Ingressi sunt simul curiam duo testantur se vidisse tradi Manticam, & indicant ubi sit. Iudices mittunt, & reperiunt ibi manticam, Restabat ut perjurus conjiceretur in carcerem. Non inquirunt, duo, nos illum puniemus, & arripiunt perjurum in aera qui nusquam apparuit.

88. In sylvis non temere viatorem sese debere se-
jungere à comitibus, præsertim in-
gruente vespera.

Nubilem filiam rusticus quidam habuit, quam voluit locare in uxorem juveni rustico, in proximo pago Sponsalia habita sunt, amicis præsentibus. Dies constituitur nuptiarum, rusticus elapsis aliquot diebus parat duos equos, unum sibi & uxoris, alterum sponsæ & servo. Per sylvam erat iter faciendum, prospere succedunt omnia in via. Verum servus nequit moram, quid causæ sit scire nemo potest, aberratq;. Tenebræ enim eum deprehenderunt, ut inscius esset: quo diverteret, & anxius ob sponsam, quam secum ducebat, præterea etiã tristitia afficiebatur ob parentes, qui illius adventum expectabant sollicitè. Tandem eluctatus est, ex densissima sylva, & tenebris, venit ad domum leprosum cum sponsa tristi, qui nacti hanc prædã, cogitarunt mox de occidendo servo, quod & fecerunt. Nam eum ad stabulum duxerunt, & per tica intertecerunt. Deinde luserunt pro virgine, apud quem esset per noctem istã dormitura, fors cecidit super juniorem leprosum: Interea autem puella ignara quid rerum ageretur cum servo, inclamans illius nomen, & cum nihil responderet putavit se proditam ac prostitutam iis nebulonibus, qui eam assidue amplectabantur osculabanturq; tanquam si reliquias sanctorum haberent. Cum cubitum esset eundem, & servus non reverteretur ad eam, ne pudicitiam virginalem amitteret seipsum cultro transfixit, & mortua est. Leprosi attoniti & timidi ob præsens factum, summo mane, ut servus sepeliretur curarunt, quem in sacco absconderunt, equoq; impesuerunt, in sylva locum sepulturæ querentes. Pollinctorum

res isti inciderunt in nobilem quendam, cui animus iis conspectis nihil boni præfagiebat, qui interrogati, quo velint tam summo mane cum isto sacco equo imposito, & quidnam in eo esset perquirebat. Nam videbat parum sanguinis distillare. Dixerunt se velle in civitatem proximam commercandi gratia ire, ac cutem vaccæ detractā gestare. Nobilis inquit, certè non est cutis ob fluorem sanguinis, accessit, tetigit saccum & dixit: Certe vultis me fallere, tango enim molle nihil. Aperite mihi saccum ut videam quidnam agatis. Saccus solutus, cadaver hominis inventum. Subri-
fit nobilis (astutus enim erat homo) ac dixit, fortasse obiit apud vos bonus iste homo nocte hac peste aliqua. Qui mox dicebant: Ita est nobilissime heros. Pernoctavit apud nos peregrinus, qua ex patria sit ignoramus, qui in stabulo equorum obiit. nemine præsentem, quem invenimus hodie summo mane mortuum. Neque ausi sumus vestræ nobilitati hoc dicere, ne nauseam ob foetorem ab illo hauriret, quem in sylva ob malos homines, qui nobis male volunt, sepulturæ dare volumus. Nobilis respondit: Bene est, pergite, ac sepelite secluso omni timore, hominem in vestro cœmiterio, ego testis verus ero de mortuo peregrino apud vos. Interea nobilis, cui dolebant latronum illorum scelera, curavit clam ut omnes leprosi tam mulieres quam viri caperentur. Vinctis illis etiam puella mortua, nondum sepulturæ tradita in acervo fœni inventa est. Gravissima pœna & merito quidem, omnes adfecti sunt exceptis mulieribus, quæ non semel admonuerant viros, ne quam vim puellæ inferrent. Neque hoc homicidium primum fuit, sed multa latrocinia in multos annos exercuerant. Domus etiam illo-
rum

rum cum tota substantia igne absumpta est, in memoriam hujus rei perpetuam.

89. *Ebrietatem esse fugiendam.*

Duo conjunctissimi cives, una sunt pransi, deis pagum ob negotia quædam certa pacificè adierunt, in quo peractis negotiis vino se obruerunt. Cum autem domum reverterentur, in via rixari semina discordiæ crescere, ob levem causam cæperunt, adeo ut evaginatis gladiis alter proximo suo amputarit sinistram manum, quem dein in isto furore transfodit. Homicida consulit sibi fuga, relictis liberis, uxore & omni domestica re. Misera res, cum vino nos ita implemus, ut etiam conjunctissimis non parcamus, ac nullum discrimen servemus inter amicum & inimicum, inter hominem benemeritum & peregrinum.

90. *Dandam esse operam, ne mors imparatos nos obruat.*

Basileæ in hospitio Bovis in parva civitate, quidam mercator Genevensis, cubitum summa cum lætitia ivit, & mane inventus est mortuus. Quidam ex medicis putarunt eum apoplexiæ morbo tactum, & mox in terram, quum in cubiculum venisset, cecidisse. Nam se nondum vestibus exuerat. Hora mortis certa & incertissima, vigilemus itaque & in timore domini ambulemus, precantes Dominum, ut exitum hujus tam afflictæ vitæ felicem nobis tribuat.

91. *Inimicos insultantes ad fortiores astu mittendos esse.*

Canis & Gallus in itâ societate, iter faciebant. Vespera autem superveniente, Gallus conscensa arbo-

arbore dormiebat ; at canis ad radicem arboris
excauata. Cum Gallus, ut assolet, noctu cantas-
set, vulpes ut audivit, accurrit ; & stans inferius ut
ad se descenderet rogabat, quod cuperet a deo e-
gregio cantu animal complecti. Quum autē dixis-
set, ut janitorem prius excitaret ad radicem dor-
mientem, ut cum ille aperuisset, descenderet, & il-
la quærente ut ipsum vocaret. Canis statim pro-
filiens eam dilaceravit.

92. *Non participes felicitatis, neque in calamitati-
bus firmos esse amicos.*

Duo quidam una iter faciebant, & cum alter se-
curim reperisset alter qui non invenit, admone-
bat ipsum, ne diceret *inveni* sed *invenimus*. Sed
paulo post quum aggredierentur ipsos qui securim
perdiderant, habens ipsam, persequentibus illis,
ad eum qui una iter faciebat, dicebat, *Periimus*, hic
autem ait, *perii* dic non *periimus*. Etenim & tunc
cum securim invenisti, *inveni* dixisti, non *inveni-
mus*.

92. *Ignotarum rerum peritiam non esse sibi at-
tribuendam.*

Moris quum esset navigantibus, melitenses ca-
tulos & Simios adducere in solamen navigationis,
navigans quidam habebat secum & Simium. Cum
autem pervenissent ad Sunium, Atticæ pomonto-
rium, tempestatem vehementem fieri contigit.
Navi aute versa, & omnibus enatantibus, natabat
& Simius. Delphis autem aliquis ipsum conspi-
catus, & hominem esse ratus, digressus sustine-
bat ad terram perferens, Ut vero, in Pyrno fuit,
Atheniensium navali, rogavit Simium, an genere
esset Atheniensis. Quum autem hic diceret, &
cla.

claris ibi esse parentibus: rogavit an & Pyraum nosset. Ratus autem Simius de homine eum dicere ait, & valde amicum esse ei, & familiarem. Et Delphis tanto mendacio indignatus, submergens ipsum occidit.

93. *Homines quandoq; primo intuitu terribiles postea nullius esse pretii.*

Viatores juxta litrus quoddam iter facientes, venerunt in speluncam quandam, & illic conspicati sarmenta procul natantia, navim esse magnam existimarunt: quamobrem expectarunt tanquam appulsura ea esset. Cum vero lata sarmenta propius forent, non navim amplius, sed scapham videre videbantur. Auctis autem illis, cum sarmenta esse vidissent, inter se dixerunt. Ut nos igitur frustra quod nihil est, expectabamus.

94. *Tempestatibus non imprecandum.*

Anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimo primo, apud Tyrigetis tres milites nem⁹ transiere, ex quibus unus, orta tempestate, graviterq; coelo tonante, diris execrationibus Deo maledixit, subitoq; impetuosi venti violentia arborem prægrandem cum radicibus ex ima terra evulsam, in blasphematorem coniecit, eumque profundæ terræ illisit, ut solo extaret capite. *Job. Fincelius lib. 1.*

94. *In itinere scurrilia & impia colloquia non esse instituenda.*

Anno millesimo, quingentesimo, quinquagesimo tertio, juvenes quidam pagum Weimawol in Comitatu Nassoviensi animi gratiâ ingressi sunt, unde ad suos regressuri intereundum verborum, scurrilitate & execrationibus nefariam exercere impietatem, qua reliquis atrociores fuisse duo, quibus solis iter facientibus

bus

bus diabolus se adjunxit, eosq; vi per aerem sublimes rapuit. Exactis aliquot diebus, cum ex mandato Comitum diligenti passim investigatione quaererentur, sed nusquam inveniri possent, ea occasione tandem reperti sunt. Cum venando generosus Comes se exerceret, lepus ex virgulis se proripiens, festino cursu recta ad eum tendebat locum, ubi unius exanime jacebat corpus, insectantesque leporem venatores, in corpus per aliquot dies anxie quaesitum incidant. Erat autem magna ibi nivis copia, & circumcirca praegrandum taurorum apparebant vestigia. Sic leporis ductu corpus repertum fuit, quod putrefactionis adhuc expers erat, nec dum induruerat. Nec multo post alterius quoque corpus simili occasione repertum est.

95. *Noctu iter non ingrediendum, nec execrationibus utendum.*

Essingæ in die sanctæ Catharinæ, quo ibi frequens est mercatus. Nobilis quidam, cum magnam pecuniæ summam lusu perdidisset, equos adduci jubet discessum parans, horrendis interim & abominandis execrationibus usus. Dehortatur equitem servus à proposito ejus, periculosum esse asserens noctu iter facere, propter viarum difficultates, & aquas paludesque, dictoque audientem esse servum jubet. Servus obtemperat, conscensis equis, urbe egrediuntur. Fuerunt omnino eorum tres. His non ita longe progressis, occurrunt plurimi equites (erant autem diabolica spectra) horrendo sonitu, nobilem medium complectuntur, exanimatumque equo deturbant. Aderat autem nobili præter servum adolescens

ma-

magno prædit⁹ animo, qui fretus conscientia^e suæ integritate, diabolicum istum equitatum penetrat, dominumque suum erectum, & equo impositum ducit. Sed viarum errore vagantibus & impeditis, tota illa nocte, ab altero latere, quod adolescentis istius latere munitum non erat, auditus est molestus iste equitum strepitus. Nihil autem damni adolescenti inferre poterant equites isti tartarei. Deinde circa auroram deducunt Dominum ad monasterium Webenhausen. Vbi cum decubuisset triduo, moritur. Talis nempe exitus est horribilium & dirarum execrationum.

96. *Hospitio non excipiendos, esse impios, impudicos, scurras ve.*

Oenopola quidam promiscuam impiorum militum, scurrarum, prædonum, scortorum turbam hospitio fovebat, eorumque lusibus, blasphemias, turpitudini, impudicitias, choræis indecentibus ultro applaudebat, vilissimi lucelli gratia. Tandem cum die quadam Dominica vinum e cella deprompsisset, & astans foribus, plurimum hospitem adventum expectaret, licet hospitibus jam reserta esset domus; Ecce turbo subito exortus magno impetu eum sublatum per aërem e conspectu omnium abstulit. *In discip. de tempo. serm. 116.*

97. *Persecutores astu esse præveniendos.*

Athanasius cum persecutorum manus fugiens, navigio per Nilum in Ægyptum contenderet, jamque in propinquo persecutores esse intellexisset, ipse fuga posthabita ad persecutores navigium convertere, eisque obviam ire iussit. Et cum fugientes persecutoribus propinqui essent, & illi ubinam Athanasius esset, interrogassent: ipsi autem

tem

tem non procul abesse, ac si cursum celerius intenderent statim eum comprehensuros esse respondissent periculum evasere. *Vide Hist. Eccles. lib. 10. cap. 34.*

98. *Deum per angelos quandoque pios in via periclitantes mirabiliter tueri.*

In pago quodam vicino urbi Cygneæ mulier filium suum boves, in proximo sylvæ aditu pascentes jussit adducere. Interim puero diutius absente, nix alta terram obtexit, nec puero, & ob noctem ingruentem, & densatam undique nivem, ex montibus illis egredi licuit. Parentes postridiè solliciti, non amplius de bobus, sed de filii vita, ejus adventum anxie expectabant, nec præ nivis copia montana ascendere quæsitum filium poterant. Tertio die egredientes, puerum de cuius salute desperarant, per nemus quærunt, tandemque in aprico sylvæ loco, quem nulla nix obtexerat, sedentem offendunt, parentibusq; adventantibus arridentem: Quærunt ex eo, cur domum reverti non properet? Respondet ille, & temporis & frigoris nescius, & nulla parte corporis læsus, se expectare vesperam. Quærunt rursus, num etiam aliquid cibi sumpsisset? Respondet puer: Quendam advenisse virum, qui caseum sibi & panem porrexerit. Ita haud dubie puer iste Angelorum præsidio in ipsa bruma servatus est. Et vir iste, qui ei panem & caseum porrexit, Dei fuit Angelus. Hac ex viro gravi, fideque digno, cui veritas facti hujus certo constet, sese audivisse Philippus Melanth. affirmavit, quemadmodum refert *Manl. in Collectaneis*

Juis, l. 1.

Ejus.

99. *Ejusdem argumenti Historia.*

Duces Saxoniae, Fridericus & Iohannes fratres, aliquando in Albi Torga VVittebergam usque navigarunt. Cumque recens soluta glacie magna moles aquis innataret, ita navem utrinque quassavit, ut eum VVitteberga in ripam vicinam essent egressi, carina navis fissa, & asseres dissoluti diffluxerint. Intuentur igitur spectaculum Principes, stantes in ripa cum magna admiratione, cogitantes quanto in periculo fuerint: agnoscunt divinam ope navim esse servatam, donec ipsi egressi essent. Denique post longum silentium inquit Dux Fridericus ad fratrem: Fateamur nos servatos esse divinitus, & grati beneficium Dei celebremus, qui nos in hoc periculo, & in aliis protexit. Quod autem nobis egressis navis dilacerata sit. profecto metuo post nos nostrae navis, id est domus Saxonicae dilacerationem portendere.

100. *Hospitum filias vel famulas impudice non esse violandas.*

Cum per Burgundiam iter faceret Princeps quidam totus libidine deditus, apud hospitem divertit, cui filia erat forma praestantissima, quam cum monerent parentes, ut pudicitiae suae rationem habens apud vicinorum aliquem latitaret, illa parentes bono animo esse iussit, se enim curaturam ne fraus ulla fiat suae pudicitiae. Interea dum Princeps advenit, ornat se virgo, venienti ultro obviam procedit blandissimisque eum verbis excipit. Princeps ex primo statim intuitu, amore ejus exar-

fit, & in cubiculum ab ea se duci petiit. Virgo morem gerit Principi, qui ingressus cubiculum, protinus ut erat peroratus, eam aggreditur, puella non admodum reluctata ministros dimitti petit, ne essent spectatores, deinde cum sola esset, ut prius perones sibi detrahi patiatur, quam ad Venereum actum tendat, suamque hac in re operam ei defert. Dominus assentitur, eique utrunque pedem porrigit. Puella cum ocreas ex utroque pede ad medietatem usque detraxisset, celeri cursu per posticum aufugit, apud civem quendam insciis parentibus latitans. Princeps qui involutus ocreis puellam insequi non poterat, amorem in pietatem convertit, parentes monet, ut filiam inquirant & accersant, sanctè promittens, apud se eam de pudicitia nequaquam periclitaturam. Insuper etiam ei dotem amplam pollicetur. Reversa itaque puella protinus juveni, qui amore ejus flagrabat, despondetur, & Princeps quater mille coronatos in dotem ei largitur, nuptiarumque solemnitati latus ipse interest.

101. *Præmonitiones hominum & simplicium non esse contemnendas.*

Conradus de Rosa à Secretis Maximiliani Imperatoris, vir strenuus, per densum nemus iter faciens, apud hospitem, qui latro esset, divertere coactus est, ubi cum honeste exceptus esset, ex puella plorabunda, in quanto versaretur periculo, clam cognovit, quod etiam signum esset latronum adventantium & cædem molientium ex eadem didicit. Dabit, inquit puella, signum hospes campanulâ, mox rusticus ingredietur hypocaustum, qui candelam emuncturus, eandem extinguet, nec mora impetu facto te occident. Perit

ita-

Itaque Conradus de Rosa laternam & candelam sibi à puella tradi, quam sub scamno occultatam recondit, armaque in promptu habens, latronum impetum expectat. Vix mensæ assederat, rusticus accedens candelam extingvit, nobilem interfectorus, sed ille & laternam & arma expediens, cum famulis latrones in fugam actos occidit, hospitemque captum inde abducit. *Martinus Lutherus.*

102. *Ingruente periculo nomen suum non occultandum esse, sanisque cautelis obtemperandum.*

Cum absens Imperator Carolus Quintus in Germania res nondum pacatas componeret, accersitus est Archidux Austriae Maximilianus II. ingenio, prudentia, aliisque multiplicibus virtutibus excellentissimus Princeps ad gubernationem Hispaniae, & vicinorum regnorum. Ibi dum vel animi causa vel exercendi corporis gratia, venationi ad Granatam vacaret, & in ea venatione cupiditate insequendi feram oblatam longius à comitatu suo discederet, à suis relictus diu in densissimis sylvis vagatus est, accedente jam nocte, sollicitus (ut qui sibi à feris in illis locis immanissimis, & aliis noctis incommodis timeret) circumspicit, si quis sibi locus daretur, quo se in tutum reciperet. Itaque prope conspecta pastoris casulam, citato equo ad eam pervenit rogatoque pastore, ut sibi apud eum diversari ea nocte liceret, is omnia pollicitus, descendere de equo jubet, & tugurium ingredi. Erant porro apud pastorem sex numero: utique præter illum filius circiter viginti annos natus, tum opilio robustus, & ad quodvis facinus aggrediendum idoneus: præterea uxor cum parvulo

vula filia & nuru, quæ paulo ante nova nupta in familiam rustici concesserat. Princeps ubi ad terram equo desilisset, eumque tradidisset opilioni curandum, casam ingreditur: ac dum tenuis cœnula sibi paratur, ad ignem assidet, nihil quicquam suspicans mali. Interea cum ii qui domi erant, hunc Principem minime nossent, neque ipse, quinam esset, cuiquam aperuisset: ille tamen eum eleganter amictum, & præclaris aliis ornamentis corporis & animi ornatum viderent, rati, eum esse magnum omnino aliquem, atque opulentum virum, optimæ inhiantes prædæ, fœda teterrimaque de illo perdendo consilia ineunt. Itaque cœnati cubile (in perangusto cubiculo, quod quidem ostiolo vetustate putri, & cardinibus diluxatis, ac malè cohærentibus ægrè claudebatur) ei consternunt. Dumque ea parantur, nova nupta filii, sive quod hujusce consilii ab initio particeps fuisset, factique conscia, cujus postmodum eam poenituisset: sive (id quod credibilius est) non adhibita consiliis, tantum ex nutibus ipsorum, & concursationibus rem persensisset: tandem vel atrocitate rei commota, vel egregii Principis sibi ignoti vicem miserata, fidem ab eo stipulata, ne se proderet, illi perdita consilia detegit. Is licet facile potuisset aperte factus quisnam esset, illud periculum declinare: maluit tamen virtuti propriæ quam fidei pastorum, & eorum præsertim, quos semel infidos atque impios expertus esset, sese committere. Itaque magno & erecto animo statuit, ut periculum potius quam eorum perfidiam subiret. Quamobrem in cubiculum sibi ad insidias paratum, ab hospite perductus, haud gravatim se recipit: ibique occluso ostio, eoque objectu gravioris arcæ benè oppilato; tum in manus sumpta bombardæ,

ad

ad omnes casus subeundos paratus, cæpit intrepidus observare, quo res caderet. Pastor cum illum de via & venatione fessum vidisset, ubi somno pressum dormire credidit, suspensio gradu ad ostium accedit, ac manu prætentat, non ratus fore, ut id clausum interius offenderet. Quod ubi præter spem illi accidisset, petit à Principe, ut sibi ostium aperiat: esse cur velit, nescio quid straguli ex arca promere. Is vero omnia persensisset, ut qui nihil dormiret, Apage te hinc inquit, cum tua ista importuna diligentia, ego jam in somno compositus, nihil est cur ostium recludam. Tum ille primum indignari, clamare, quiritari, se perditum ac proditum prohiberi rebus suis: deinde ad arma currere, vim apertam parare: postremo palam cadem quoque minari, nisi domus sua tota sibi pareret, ac ille sese ipsi protinus dederet. Et jam pastores cœperant ostium amoliri, alius autem per fenestram cubiculi eo tentate erumpere: eoque obnixius rem cœpram perficere conabantur, quod jam sua consilia detecta esse facile intelligebant. At vero hic Princeps magnanimus, quum rem iniquissimo loco sitam videret, fortiter pugnandum ratus, intentatum ad fores bombum displodit: quo glandis ictu ostium trajicit, pastorem prosternit, nec mora dimota arca, patefactoque ostio foras erumpit, pastoris filiū obtruncat, opilionem ense stricto persequitur, inq; fugam vertit. Neq; tamen protinus omni periculo defungitur. Nam ex vociferationibus uxoris, & tumulto insvetu acciti, qui circum aderant alii pastores, raptis undiq; telis concurrunt: domum ipsam armati circumstant: juvenem Principem ad cadem & supplicia deponunt. Ille autem dum à primo illo insano rusticorum furore (quo nihil

L. II. P. P.

Ee

inj.

iniquius est) sibi caveret, nihil præterea territus, tibi jam illucescente aurorâ, magnam rusticorum turbam illo confluisse videt: audacter quisnam ipse esset aperit, atque intrepidus, auctoritate illa, quæ se digna erat, Hispaniarum sese præsidem ac moderatorem esse ostendit, extremum omnibus supplicium minatus, ni se omnes totis viribus servatum vellent. Si sibi parum fidei habendum putarent, à præsentî cæde abstinerent, sese cognitioni Magistratus, animadversionique reserverent, quod si id facere negligerent, id non sibi solum fraudi, verum etiam ipsis excidio atque internecioni futurum. Illi, tametsi heroicâ præstantissimi juvenis Principis indole & constanti oratione permoti, facile crederent illum ipsum esse, quem præ se ferret, à cæde quidem abstinent: cæterû, ne ab ingenio suo rusticano discederent, eum comprehensum manibus vinciunt, itaque colligatum atque obstrictum summo mane ad vicini oppidi Præfectum perducunt. Iam eodem pervenerant, ex Principis satellitibus, eum quæritantes: quem cum ita vinctum, atque indignissimis acceptum modis viderent, parum abfuit, quin in turbam illam pastorum incõditam ac tumultuantem irruerent, sed ab ipso admoniti, ut à vi & armis temperarent, agrè ablistunt incepto. Tum vero horum adventu re omni, ut erat, detecta, qui tanti sceleris fuere conscii indignissimi facti pœnas dederunt. Opilio ad extremum supplicium pertractus, scelerato domus tam impii facinoris particeps flammis consumpta: Nova nupta, quæ iudicium fecerat, multis & magnis muneribus affecta apud ipsum Principem suosque in magno precio est habita.

Losa

103. *Loca periculosa temere non esse pe-
tenda.*

Montes Oenopontici sunt juga per quæ omnes
ii contendunt, quicunque per Tyrolim regionem
in Italiam iter suscipiunt. Hi montes ob singula-
re quoddam quod ibi reperitur monumentum
valde sunt celebres. Nam Maximilianus primus
Imp. rupicapras ibi loci in venatione insectando
eo devenit, unde nec referre pedem, nec ulterius
progredi potuit, inque abrupto loco constituto,
nemo ipsi vel fune vel instrumento alio, subsidio
venire valuit: stetero procul ministri consilii ino-
pes, Dominum suum longè prospectantes, quem
juvare nequibant. Cæsar itaque cum per bidu-
um illic permanisset à curis mundi mentem ab-
ducens de vitâ cælesti cogitationes suscepit, suos
vocavit, ac quam primū ut Sacerdotes SS. Eucha-
ristiam afferrent, ac è vicino loco sibi monstrarent,
jussit. Tandem cum omni humanâ ope destitu-
t⁹ in immortalitatis contemplatione occuparetur,
non procul à sese audit strepitum videtque juve-
nem quendam habitu rustico per rupis costas ir-
reptantem, qui modo sequeretur liberationem i-
psi pollicetur, eumq; mirabiliter ex illo loco edu-
xit. Postero die cum juvenis ille quæreretur, ac
quo merito præmio honorari posset, deliberare-
tur, ac diu multumque quæsitus non inveniretur,
creditum fuit Angelum fuisse, qui Principem tan-
tis malis eripuisset. In huius rei memoriam istic
Cæsar viam lapidibus muniri, ac Christi crucifixi
imaginem poni curavit.

104. *Familiaribus Sodalibusque arcana domestica non
esse concedenda, præsertim in pere-
grinis locis.*

Ee 2

Men-

Mense Ianuario Anno 1559. Bertranda Rolfia Artigatenfis in diœcefi Regiensi, apud Prætorem Regiensem supplici porrecto libello queribunda exponit, se viginti aut circiter ab hinc annos, cum puella esset admodum, annos nata novem aut decem, Martino Gverræ ejusdem ferme ætatis nupsisse. At cum eo novem aut decem annorum tempus transegisse; ut ex eo matrimonio natus sit filius nomine Sanxius, qui etiamnum vivit. Ipsum porro Martinum (quoniam juvenili quadam levitate triticum Patri furatus esset.) Patriâ relictâ octo annos domo abfuisse, quo tempore nihil de eo famâ acceperit. Quo tempore exacto, venisse ad se quendam, qui re quidem vera esset Arnaldus Tillius, cognomento Pansetta, patria Sagiensis: sed maritum actricis, Martinum Gverram se diceret. Quem non dubium est cum Martino contubernii familiaritatem in bello iniisse, & ita hujus consuetudinis occasione, multa domestica & privata, tum de eo, tum de uxore explorasse. Qui quidem fretus eo, quod vultus similitudine Martinum referret, omne jus amicitia violare & novum fallendi genus in animum induxerit, ad quatuor illius sorores, patrum, reliquos consanguineos ipsamque adeo Rolfiam, omnes denique Artigatenfes accesserit. Quibus adeo propria & certa indicia, & tanto numero exhibuerit, ut non modo iis qui à familia erant alieni, verum etiam propinquis omnibus atque eidem uxori ipsi visus sit esse is, quem sese dicebat. Ut mirandum minimè fuerit se ipsa videndi & recuperandi mariti cupiditate duceretur. Et Tillius multa singularia indicia proferret de rebus & verbis, quæ occulta inter conjuges intercedunt, quæ aliis vix nota esse

esse possit & quidem eosq; , ut locum, tempora & articulos exprimeret , quibus occultè ista quæq; ab eis fieri consueverunt (quæq; facilius est intelligere quam honestum referre) verba quoq; antegressa & subiecta rem ipsam commemoraret : ipsa etiam non minus quam reliqui sibi persuasisset, ipsum revera Martinum Gverram esse.

Ita factum , ut Tillius ipsa actricis personam primum potitus, eam per triennium & eo amplius pro uxori familiari habuerit convictu : Deinde omnia Martini bona occupaverit , quæ tum Artigati tum Andææ in finibus Cantabrorum possederat , unde Martinus ipse oriundus erat. Quæ quidem bona ipse multis emptoribus vendiderit, Quo in errore dicta Rolsia supplicans triennio & eo amplius versata fuerit. Quo quidem tempore simul habitasse conjugatorum more , mensa, convictu & lecto communi , ut ex ea prodierint consuetudine duo libri , quorum alter mortuus esset, se tandem certiore factum, de prodigioso dolo & inaudita impostura, qua ille usus fuerat, sibi nomen & personam Martini Gverræ sumens. In totam rem diligentius inquisisse idque ex auctoritate Prætoris Regiensis : ut eam tota complanata concludendo contra dictum Tillium, postulaverit ei geminam multam tum ignominiosam, tum pecuniariam irrogari: ita ut capite aperte discalceatus & indusio tantum indutus tedam accensam manibus tenens, se in Deum , Regem & ipsam Rolsiam graviter peccasse fateatur : quam impia temeritate & proditione deceptam & circumventam ludificatus sit, Martini Gverræ veri mariti nomen personamq; falso e mentitus, ejus se flagitii ex animo pœnitere publicè confiteatur, & veniam oret. Pecuniariam insuper multam 2000

Ee 3

libra.



librarum luat denique victrici totius litis impensas & damna resarciat. Tillius reus econtra conqueri capit, si quis unquam à cognatis indignis calumniis vexatus sit, se profecto eum esse. Quem cum omnes satis intelligerent esse reipsa Martinum Gverram Arrigatensem, Petrum tamen Gverram patrum cum suis generis, novum crimen & antea inauditum adversum se excogitare & architectari in animum induxisse, id vero pessimo consilio eum conari, ut nimirum se facultatibus & fortunis suis, quas ad 8000. librarum pretii possedit exueret: qui cum eas diu diem abessent tenerit, nunc doleret, quod à se domum reverso ad reddendam administrationis rationem & reliqua præstanda apud Prætorem Regiensem se convenire videret, ad cuius tribunal diem illi jam pridem dixerit. Itaque objicere ausum non esse ipsum Martinum Gverram, sed nomen falsum sumfisse. Rosiam denique ab eo impulsam ut tantum crimen iudicio persequeretur. Deinde rem totam fusius oratione persequens narrare cepit, quemadmodum circiter annos octo regi militasset, deinde, postquam aliquot menses in Hispania regionis lustrandæ causa egisset, tandem cognatos, patriam, filium, imprimis vero uxorem revivere cupiens tertio ab hinc anno Arrigatum revertisset. At tametsi temporis intervallum non modicam in vultu mutationem fecerat, cum domo proficiscens omnino imberbis esset, tamen reversus cum à cæteris, tum maximè ab ipso patre agnitus & ab eo omni humanitate familiaritateq; susceptus est, donec tandem suis rebus animum intendere earumque rationem repositere, ac fructus toto illius absentia tempore perceptos, reperere

tere decreviffet. Hujus enim rei cum illum amice non femel commonefeciffet, feq; verbis tantum blandis duci intellexiffet.

Tandem coactus fuerit litem ei intendere, & iudicio fortunas fuas persequi. Nam ad restituendos fructus quos perceperat, & ad reddendam administrationis rationem, nunquam adduci potuit. Quin potius ob eam rem indignatus ipfe, generorum opera omni ratione exitium ei comparare conati fuerant. Primum confilium fuit, de eo necando, quot ut perficerent, faepe infidiati, faepe aggreffi, poftrema (tanta fuit vis avaritiæ) in oculis uxoris veçte eum propè ad necem percuffum in terram dejecerant, mifere illic maçtaturi nifi uxor præfens ei ad excipiendos ictus incubuiffet, quando aliter fervari non poterat.

Nunc poftquam nefarius ille conatus non fuffeciffet, alia aggrediuntur viâ, ut flagitium illud horrendum & prodigiofum comminifcantur. Quare, quoniam fi verum effer, inufitato fupplicii genere vindicandum videretur, lege talionis adverfus calumniatores agere fe profitebatur. Illud in fuper poftulabat, ut tum uxor tum fiores fecum committerentur. Non dubitare fe, quin ille omnes utpote probè & honeftè ipfum pro fratre conftanter agnofcant, petit etiam ut aëtrix, quæ apud Petrum patruum erat, ex ejus domo abduçta, apud viros integræ exiftimationis manere jubetur, ne circumveniatur aut fubornetur. Denique fe infontem abfolvi poftulat. Hic vero Tilius dum apud Iudices loquitur longam narrationem, eamque veram (quod poftea apparuit) cæpit inftituere, de Cantabrorum regione Martini patria, de ejus parentibus, fratribus, ferioribus cæterisque confangvineis, quo anno mense & die

nuptias contraxerant, de focero & focru, de iis qui & tum aderant, & matrimonium conciliârant de vestium ornatu, quas quisq; eo die gesserat, de omnibus iis figillatim quæ tum nuptiarum ipso die, tum antecedentibus & consequentibus gesta fuerant, ita ut eos etiam designaret, qui media nocte ingeniali toro se inviserant. Præterea de filio Sanxio, deque illius die natali, de causa profectionis, de iis quos discedens obvios habuit, quid cum iis locutus fuerat, de locis quibus toro peregrinationis tempore tum in Gallia tum in Hispania egerat, de iis quibus cum utrobique consuetudinem habuit. In quibus singulis memorandis certas personas denotabat, ex quib⁹ postea quæreretur, nū ita se haberent, ut ejus oratio tanto veri similior redderetur. Quod cum fieret, compertum est omnia ab eo verè dicta fuisse. Hæc tam proluxa oratio additis tot verissimis signis, magnam Iudicibus occasionem præbebat, cur, cum sibi persuaderent Tillum criminis affinem non esse, cum etiam felicissimam ejus memoriam admirarentur, qui innumerabilia quæ ab annis 20. contigerant ordine narrabat. Quia in re cum illi omni studio operam darent, ut eum in mendacio quopiam deprehenderent, nihil tamen profecerunt, neque unquam turbare potuerunt, quin appositè & vere ad omnia responderet, etiamsi separatim temporum spatio interjecto sciscitarentur. Re in disceptationem & cognitionem vocata, statuitur, ut testes Tillio componantur, quin & ipsa Actrix iudicio sistatur, & ad postulata ejus respondeat, præterea ut ex testibus nonnulli quos ipse se Martinum professus nominatim citaverat, tum alii, quorum nomina eduntur, rogati respondeant, de quibus

bus-

busdam ex ipsa lite nascentibus. Ipsa Actrix à iudicibus rogata, omnia consentanea cum Tillii verbis respondet: nisi quod addit paulo postquam Martino nupisset, circiter octo vel novem annos, se maleficio quodam illibatos mansisse, ut congregari omnino non possent. Quam ob causam proximos quosq; consanguineos svasisse, ut matrimonium dirimi postularret, cui consilio se nunquam parere voluisse. Nono demum anno illo fascino liberatam, cujus rei causa se monitam fuisse, ut quatuor missas celebrari præciperet, Sacerdotes qui Missas fecerint indicat, tum ab eorum uno quæ & ipsum disertè nominat, se aliquot hostias, quas vocant seu crustulas comedenda, accepisse, quibus acceptis utrinq; melius habuisse, ut non multo post Sanxium filium conceperit. Tillius vero hoc maleficio & fascinatione, sacerdotis nomine & ceremoniis usurpatis, rogatus, plane consentanea responderet, ut nihil neque adderet, neq; minueret. Cæterum cum inter se committendi essent, petit eam sequestram & libero loco constitui, ne qua subornatio comparetur. Commissis inter se litigatoribus, Tillius refutationibus exhibitis petit, ut sibi permittatur literas monitorias publicandas curare in ea capita, quæ objiciebat quibus Actricem subornatam esse contendebat. Edicto Prætoris admittitur ad probandas refutationes. Deinde rei gravitate perspectâ, placuit monitorias publicari, quo certius tota res patefiat. Instituitur igitur inquisitio ex officio cum multis in locis tum Pini, Sagiassi, & Artigati, ut de agnitione rei qui se Martinum Gverram affirmat liquido constet: deinde ut testium vitam & famam inquiratur. Editis in publicum monitoriis, collectis in unum quæ judicata fuerant, inquisitionibusq;

ex officio peractis, quod ad Aetricem spectat, constanter ab omnibus affirmatur, eam cum toto vitæ tempore, tum absente Martino viro honestam & probam vitam duxisse. Ac pro reo extant testes circiter 150. qui testimonium dixerunt. Ex quibus 30. aut 40. numero, qui eum revera Martinum Gverram esse affirmant, qui cum eo magnâ familiaritatē ab ineunte ætate habuerūt, agnoscere se in eo certas notas & indicia, quæ in Martino fuissent. Alii sunt & quidē plures qui Arnaldū Tilliū esse contendunt, quem sibi ab incunabulis notum esse prædicant. Cæteri amplius 60. tantam esse similitudinem ut dubii de neutro asseverare videant. Conferuntur insuper cum eo Martini tum filius Sanxius, tum sorores. Vnde duo valde dissimilia colliguntur. Sanxium cum isto reo nihil habere similitudinis: Sorores illi contra persimiles esse. Causa iudicum sententiis permessa, filius capitis supplicio adducitur cadavere postea in quatuor partes dissecto & secundum Aetricem pronunciatur. Tillius ad curiam Tolosanam provocat, Patres pro sua prudentia proq; rei gravitate Petrum Gverram patrum & Aetricem sisti in Senatu jubent. Ibi inter se committuntur & primo loco ipsa mulier. Ac tum Tillius vultu ita intrepido fuit, eamque constantiam multo quidem majorem, quam ipsa Aetrix præ se tulit, ut pauci ex iis qui in iudicio sedebant, essent, reum verum esse maritum mulierem vero & patrum dolo malo agere. Veruntamen quoniam nondum de re totâ liquebat, placuit Senatui inquisitionem ex officio de aliis capitibus institui, aliosque testes citari ab iis quos prior iudex audierat. Quid plura! His omnibus confectis res etiam obscurior, quam

an-

antea evasit. Ex 30. circiter testibus 10. ferè Martinum esse serio affirmabant, 8. Arnaldum Tillium, reliqui pugnantis circumstantiis hærebant. Vnde facile intelligi potest, iudices non mediocri in difficultate hæsisse, cum causæ gravitatem, periculum & ancipitem casum perpenderent, in qua tanta in utramque partem momenta apparebant. Enimvero non esse Martinum Gverram sed Arnaldum Tillium aut insignem saltem quendam impostorem, quinque aut sex rationes vehementer suadebant. Principio extabant testes amplius 45. qui eum Arnaldum Tillium affirmabant. Testimonii porro rationem optimam reddebant, quod utriusq; & Martini & Tilli consuetudine & familiaritate usi fuissent. Quo loco observandum est, aliquod fuisse in testibus notatu imprimis dignas circumstantias. Erat enim ex eorum numero avunculus ipsius Tillii nomine Carbo Barrautius in quem nulla suspicio posset cadere, quod nemini verisimile est hominem sanguine junctum tam atrox mendacium confingere voluisse, ut nullâ causâ extante nepotis mortem ignominiosam quæreret. Id quod satis Carbo ille docuit, cum produceretur reus, tum apud Prætorem Regiensem, tum in ipso Senatu. Eum enim vinctum gravissimisque compedibus impeditum, videns, cum magno capitis periculo, statim lachrymari & ejus miseriam deflere cepit. Altera circumstantia est quod extant testes qui alias vel cum Tillio contraxerant, aut contractibus ab eo factis, testes accersiti affuerunt. Tertio loco, inter omnes ferè testes convenit, Martinum Gverram esse proceriorem, colore magis fusco, corpore & cruribus gracilioribus, scapulis incurvis, capite humeris appresso mento bifido & paululum repando inferi-

ori labello deorsum pendulo, dentibus exiguis naso lato & resimo, ulcere in vultu & cicatrice quadam & dextrum supercilium notatus: cum interim reus esset humilis, compactus corpore & cruribus crassis cæteras illas notas humerorum & nasi, itemque cicatrices nullas gerens. Quartum accedebat, quod sutor qui Gverræ calceos suppeditare consueverat, testabatur cum duodecim puncta, ut loquuntur, calceos induere solitum, dum huic novem sufficerent. Alius insuper asserbat, Gverram esse peritissimum artis gladiatoriaæ cuius iste plane est ignarus. Quinto loco tres extant testes, quorum uni quem Iohannem Hispanum dicunt (is diversorium Tolgis meritorium habet) Tillius in Patriam reversus se patefecerat, remq; ut celaret rogaverat, Gverram mortuum esse sibi que bona sua testamento reliquisse. Alteri Valentino Rubio, qui eum nomine compellabat & Tillium esse cognoscebat digito silentium indixit. Pelegrino Liberossio idem fecit, eique insuper sudariola duo dono dedit, ita ut alterum Iohanni Tillio fratri daret. Sexto, accedunt testes duo, qui affirmant, militem quendam Patria Ruperfortanum, non multo ab hinc tempore, cum Arigato iter faceret, miratum hunc quod videret pro Gverra gerentem apertè dixit veteratorem esse: Gverram in Flandria adhuc morari alteratantum tibiâ incedentem, alterâ ligneâ suppositâ, pro ea quæ in expugnatione ad Clanquintinû die S. Laurentii sphaera bombardica illi fuerit ablata. Secunda ratio, quâ ostendi poterat, non esse eum Gverram, erat ea ipsius collatio cum Sanxio Gverræ filio, qua Prætor Regiensis deprehenderat eorum nihil inter se similitudinis habere; ut supra

di.

dictum est. Id vero multorum testimonio confirmabatur. Tertia, quod Martinus ex Cantabria oriundus esset, cujus regionis lingua, ut omnibus est notissimum, multum à Gallica & ab ipsa Vasconica discrepat, ut vix ac ne vix quidem, nisi ab incolis intelligatur. At linguam hanc Tilius nisi pauculis quibusdam dictionibus callebat. Quarta afferebatur ratio, quod uno omnium ferè ore constanter ferebatur, Tillium ab ineunte ætate flagitiosæ vitæ assuevisse, omni generi furti & fraudum deditum impia divini numinis execratione hanc versutiam ac impudentem imposturam excogitaverit. E diverso autem, ut reus ipse Gverra crederetur esse efficiebant testes 40. ferè, & in his quatuor ejus sorores, quæ hoc affirmabant. Ejusque rei rationes, tam graves, tam idoneas reddebant, ut nihil supra: illi sibi cum eo à primis vitæ annis notitiam, consuetudinem & familiaritatem in ipso cibo & potu intercessisse, hæc quod ab incunabulis unâ cum eo educatæ fuissent. Re in ipsis quidem testibus tria vel quatuor præcipue notatu digna sunt. Primo 4. sorores, de quibus diximus, tam honestæ existimationis matronæ, quam quævis aliæ in tota Vasconia: quarum ea semper fuit oratio, ut ipsum dicerent fratrem suum Gverram esse, ipsius Actricis maritum. Idem & pari constantiâ duo Martini sororii, qui sorores in matrimonium duxerunt, dicunt. Secundo ex his testibus nonnulli nuptiis Martini & Rolsiæ interfuerunt, in primis Catharina Borea quædam, quæ jacentibus illis, mediâ ferè nocte commestationem (quam ab excitando vocabulo Ieresueil appellant) attulit, quæ quidem certissima asseveratione eum esse contendit, qui Rolsiam duxit, quemque cum ea jacentem offendit.

dit. Tertio loco testes isti magna ex parte proferunt notas quasdam, quæ refutari non possentur: Gestasse scilicet Gverram in mandibula superiori duos subnatos dentes, in fronte cicatricem, unguem primis digitis depressum, tres in dextra manu verrucas, aliam in minimo digito sanguineam guttam in oculo sinistro. Quæ omnia signa in reo extare comperiebantur. Accedit huc, quod ex testium numero multi patefaciunt Petri Gverræ consilium, qui cum uxore & generis in rei necem & exitium conjuravit: eousque, ut cum Iohanne Lozæo Consule Palensi pacisci voluerit, si ad ejus perniciem pecuniariam certam summam conferre vellet, se reliqua suppeditaturum. Illum autem respondisse, malle se ad ejus salutem bona expendere, quem suum consanguineum Petro ipso sæpe affirmante, didicisset. Addunt famam esse apud Artigatenses Petrum cum generis suis invita Actrice, hanc perniciem misero homini machinari & litem persequi. Denique ex illis Petrum non semel audivisse, eum hunc reum nepotem suum esse fateretur. Quarto quotquot ferè auditi sunt testes confirmant hunc reum cum Artigatum venisset, nominatim omnes salutasse, qui Gverræ noti fuerant, ut quemque primo occursum obviam habebat. Qui si in eo agnoscendo non nihil hæsitare videbantur, tum eum res præteritas in memoriam revocasse, ut singulos sic compelleret; itane vero meministi, cum ante 10. 12. 20. annos tali in loco eramus, cum illa agebamus cui cætui hic & hic intererat, atque hujusmodi inter nos sermones habebantur? Quin & multa cum Actrice repetivisse (ut antea dictumq; eorum, quæ conjuges maxime occulta inter se habent; Cum do-
mum

mum venisset ita præcepisse : Cedo huc femoralia illa, quæ intrinsecus nultitio albo munita sunt, quæ cum hinc proficiscerer in tali cista reliqui. Id ipsa Actrix verum esse fatebatur, ibique fuisse femoralia. At ista sane non potuit ab ullo monitore vel nomenclatore discere. Fieri quidem potest, ut certa quædam verba memoriter narrentur, non nulla indicia proferantur. Sed tot variorum hominum notitiam proferre, quos nunquam noris ac ne videris quidem, at vero humanis viribus majus nec aliter quam Magia vel arte quadam damnata perfici posse videtur. Sed de argumento ex testium dictis sumpto hætenus. Secundo loco, huc facit, quod de similitudine rei cum sororibus Gverræ compertum est, quæ quidem multis affirmantibus, cum ex officio ea de re inquireretur, tanta esse proditur, ut ovum ovo non sit magis simile. Accedit ad hæc, quod cum Rolfia, quæ acriter reum persecuta est, cum eo conferretur, at ipse reus jusjurandum ei deferre non recusaret, quin atrocissima morte afficeretur, si se Martinum Gverram non esse dejeraret, nunquam ausa est jurare, sed hæsitabunda instar negavit, se sacramentum exigere aut reddere velle. Quo nihil apertius fieri potest, ut ipsa dolo & calumniæ affinis esse videatur. Quarto hoc quoque affertur, quod toto annorum circiter quatuor spatio, quo conjugum instar isti convixerunt, Actrix nunquam audita est conqueri. Imo quoties quispiam affirmavit, non esse eum verum maritum, illum non dubitabat duriori oratione mendacii infimulare affirmans ipsum Martinum esse, aut malum quempiam genium ipsius exuvio relictum, à se enim indubitato agnitum fuisse. Quod si quis idem deinceps dicere audeat, se effecturam,

ram,

ram ut suo magno malo dicat. Insuper apud multos solebat illa conqueri, quod Petrus Gverra cū uxore ipsius, eo volebant se impellere, ut reum in jus vocaret, suumque maritum non esse contenderet. Ut ne à minis quidem abstinuerint, se illam nisi morē gerere domo exacturos esse. Quinto & hoc suspicionem augebat, quod cum reus aliquando alia de causa in carcerem coniectus esset, ex autoritate seneschalli Tolosani instante quodam Iohanne Scornebovio minore, sed operam clanculum accommodante Petro Gverra fuit cum de hoc ementito nomine mariti nonnullus sermo injectus, cuius rei causa non desinebat Aëtrix de Petro Gverra & uxore conqueri, qui se ad accusandum maritum impellere conabantur, quod eorum consilium esset, ut ille vel rei capitalis damnaretur, vel triremium poenæ addiceretur. Ex hoc carcere cum à seneschallo causa indicata liberatus esset, reversus Artigatum officiosè ab ipsa Aëtrice domi velut maritus accipitur, quæ ei simul atque venit, indusium recens suppeditavit & in complexum ipsum admisit. Postero tamen die summo mane, Petrus Gverra procuratorio nomine tanquã ab Aëtrice constitutus generis comitantibus armatis rursus custodiæ mandatur: etsi nulla accusationis nova capita exarent, neque dum Aëtrix ipsum Petrum procuratorem, cuius rei causa constituisset. Id enim vesperi illa die factum est, ut ipse Petrus postea confessus est. Quæ tamen causa ipsius Aëtricis voluntate nequaquam fieri satis docent, cum alia, quæ supra commemorata sunt, tum vero amica illa & omnium officiorum plena iterata consuetudo. Quin & simul atque denuo comprehensus est, illi vestes & pecunias,

nias, quibus se sustentaret, misit. Quæ cum ita
 essent omnia, magnam causam Senatus habere vi-
 debatur, cur absolvendum reum censeret, præ-
 sertim cum præter omnia illa superiora hæc sen-
 tentia causæ matrimonii prolis & ipsius rei fave-
 ret. Quam sententiam ut æquiores si sequi li-
 beret conjecturæ & argumenta supra ex adver-
 so objecta, parum habere virium videntur. Nam
 quod ad numerum testium attinet, facile re-
 spondetur, quod (ut jam dictum est) testibus
 qui pro eo loquuntur, & si pauciores sint nume-
 ro plus fidei habendum est, præsertim cum verifi-
 miliora dicant. Et in matrimonii, liberorum &
 ipsius rei favorem loquantur & affirmant. Iam
 quod ad Carbonem avunculum Tilli attinet, ad-
 junctis aliis testibus, qui multa singularia adver-
 sus reum proferunt, fuerunt omnes illi firmis ratio-
 nibus refutati, quæq; illis objecta fuere valere cõ-
 perta. In militis ratione nullum est momentum,
 quia non est ipse auditus, sed alii quidam, qui se ab
 eo audisse affirmant. Nec obstant signa aut no-
 tæ, quæ à testibus proferuntur. Ad illa enim su-
 perioribus verbis satis responsum est, testes ab-
 undè refutatos esse. At vero pauca ab eis signa
 afferuntur, quæ non in reo extare appareat, si u-
 num illud de proceritate & crassitudine corporis
 demat, ad quod etiam facile responderi potest.
 Nam quod ab aliis testibus idoneis affirmatur, li-
 cet reus cum domo proficisceretur ob gracilitatem
 videretur procerior & altior, tamen accedente æ-
 tate potuit corporis & femorum crassiorem ma-
 gisque compactam molem acquirere. Nihilore-
 ctius objicitur dissimilitudo inter reum & Sanxi-
 um Gverram, Martini filium cernitur, nam præ-
 terquam quod inde petita judicia (quod antea
 de-

demonstravimus) parum firma sunt, extat contra-
ria probatio ex similitudine, quæ inter reum &
Martini sorores extare conspicitur. Quæ sane eo
majorem vim habere debet quando plures perso-
næ cum una conferuntur, & quidem ejusdem pro-
pemodum ætatis sunt cum ea, cujus similitudo
quæritur.

Quod porro objicitur, reum linguæ Boscorum
ignarum esse: responsum ex rei gestæ veritate faci-
le potest colligi. Nam iudices inquirendo cõpere-
runt, Martinum natali solo infantē bimum aut eo
paulo fortasse grandiorē allatum fuisse. Nec ob-
stat etiam quicquā, quod Tillius ab ipsa adolescen-
tia sceleratæ & omnibus vitiis contaminatæ vitæ
fuerit, cum reum illū non esse, sed Martinum Gver-
ram constet. At ex adverso ipsi quoq; actores non
minus consentanea quæ exciperent habebant, &
quibus rationum monumenta quas reus afferebat
elevarent. Nam quod loco dicitur plus fidei testi-
bus affirmantib⁹ habendum esse, quales sunt, quæ
à reo stant, id in istius causâ locum non habet, cum
actoris testes nō minus affirmantes sint, ut qui reū
Arnoldum Tillium affirmante oratione pronunci-
ent. Accedit quod negativa oratio, quam usurpât,
dum istum Gverram eum pernegant, facile proba-
tionis pondus habet, quippè cum a deo scitè & ac-
commodatè ad loca, tempora, & personas restrin-
gunt, ut tritæ illius regulæ cancellis minime tenea-
mur, qua docetur *duos testes affirmantes 600. infici-
antibus potiores esse*. Alterum est & quidem in hac
causa potissimum, quod testes, qui tanta assevera-
tione reum esse, Martinum Gverram dicebant er-
rorē postea agnoverunt, & in Senatu de sua sentē-
tia decesserunt, uti postea dicitur. Nam quod ad
notas illas cicatrices & signa attinet, quæ in oculis,
fron-

fronte, manibus & ungvibus rei extare deprehenduntur, quæ in Martino quoq; extitisse feruntur, excipi poterit causarum veram partem quandam nempe verrucas, sanguinem guttam, & depressum unguem, sic ostendi ut singule singulis testis affirmetur ut testes singulares appareat, qui nihil probant etiamsi 600. tales producerentur. De reliquis porro notis ut de subnatis dentib⁹ & similibus nihil novū est, duos inter se similes reperiri, non solū in vultus lineamentis, sed etiam certis quibusdam corporis notis. Iā vero quod affertur, rumorē esse, Artigati, ipsam Actricem à Petro & generis impelli ut rē in iudicio persequeretur, respōderi potest, probationem à famā peritā non posse admitti, nisi in quibusdam factis, quæ huic causæ quadrare non possunt. Sed ne in eo quidem multū momenti positum est, quod dicebatur de notitia, quā rem habere videbatur eorum omniū, quos primo occurſu obvios habebat. Etenim præter magicam artē cuius nomine vehementer suspect⁹ erat, ipse postea tū supplicio afficiendus esset, confessus est se à nonnullis adiutum fuisse, quorum operā usus esset in congerendis & memoriæ mandandis, quibusdam rerum capitibus. Nihilo firmitus est, quod sororum Martini cum reo similitudine non parva colligitur, propterea (ut aliquoties dictum est) iudicium ex similitudine incertum est, cuius rei plurima possunt exempla proferri. Æq; facilè est exceptio ad id, quod de Actrice narratum est, quæ cum reo commissa iuramentum edere recausavit. Neque enim totum ad rei veritatem mutandam nihil valet. Præsertim in causis capitalibus, in quibus probatio ex iurejurando legitima non est. Quibus addi potest, nonnullos ea superstitione laborare, ut illis religio sit, vel in re clarissima & cer-

certissima jurare. Eadem opera respondetur ad id, quod toto illo triennio Aetrix cum eo non expostulavit, quæ contra adversus quævis negantes summa pertinacia contendebat, eum esse verum Martinum, imo ea de re cum apud Seneschallum Tolosanum reus factus esset sapius eum invisibat, pecuniis aliisque rebus eum juvabat, nempè, quia (ut facile conjici potest) in eo adhuc errore versabatur. Hæc fuit contrariarum rationum, pugna, cujus causa non dubia est, curiam maximè perplexam hæsisse in re tam obscura dijudicanda. Verum optimus ille Deus ut ostenderet se laboranti veritati subvenire velle, ne tam prodigiosum scelus occultum, debitis pœnis eximeretur, cum de rei summa pronuntiandum esset, effecit absq; miraculi specie, ut in ipso tempore verus Martinus adveniret. Is igitur ex Hispania rediens, altera tibia lignea ingrediens (quemadmodum ante annum miles quidam, ut narravimus, nunciaverat) supplicem libellum porrigit, quæ imposturam detegit, & sibi dicendi potestatem fieri postulat, eique apud Basilicæ custodem Arrestum clausum tenet. Sentiunt interim Patres, ut Tillius Petro Gverra, Rolsia & sororibus committatur, nec non cum iis testibus, qui tanta constantia affirmarunt reum esse Martinum. Itaque auditur & super iisdem rogatur, quæ ex reo quæsitæ fuerant, ad quæ omnia respondet, ac judicia profert, ille quidem ad singula respondet, quæ rogantur, non tamen tam apta, certa & multa ut ipse Tillius. Denique ambo inter se conferuntur, ibi tum Tillius se multo, quam unquam antea proterviorem præbet: istum Sycophantam, impostorem vanissimum appellat, se non recusare, quin turpi suspendio peccet, ne planum faciat, eum à Petro Gverra sub-

mis-

missum & pecunia corruptum esse. Qui tamen si callidè ab eo ad mentiendum institutus esset, non tamen dubitare quin eum coarguere possit. Tum insistit multa narrare, ab eoque de plurimis rebus domesticis sciscitari. Ad quæ ipse Gverra non tam appositè ac promptè respondebat, quam antea visus fuerat reus, & tum quoque videbatur. Hæc cum viderent iudices, consilium capiunt, ut novum istum adventitium remotis testibus solum interrogent, & ab eo quædam occultissima quærant, quæ à neutro adhuc quæsierant. Rogatus vero (ut postea constitit) respondet. Deinde eo remoto reum accersunt, eadem ad 10. vel 12. capita sciscitantur. Ille ad omnia planè eadem quæ alter respondet. Quæ res toti cœtui stuporem immisit opinionemque injecit, eum Magica impietate uti: ut publica etiam fama hujus rei Artigatum, Pinum, Sagialium, & loca finitima notebantur. Igitur Patres, quo certius iudicium facerent, præcipuos ex eorum numero, qui testati fuerant rerum esse Martinum Gverram, coram esse jubent, ipsas item Martini sorores cum maritis simul, etiam ipsius Tillii avunculum fratres & consanguineos, ut ambo isti simul eorum oculis subicerentur, atque alter tandem verus agnosceretur Martinus Gverra. Qui omnes jussi adsunt, præter Tillii fratres, qui nullis literis, minis, aut imperio adigi unquam potuerunt, ut adversus fratrem testimonium dicerent. Adest ergo omnium prima soror natu maxima, quæ paulisper istum nuper reversum invita fratrem suum esse agnoscit, atque flens in amplexum ruit, Iudices his verbis alloquens, hic vero demum est frater, Martinus Gverra, in quem perfidiosus iste proditor (Tillium præsentem innuebat) me, sorores, cives

Arti-

Artigatenses, suppositis indiciis impulit & diu detinuit. Ad quam ejus orationem, qui recens venerat collachrymari cœpit. Deinde reliquæ etiam sorores agnoscunt eum, omnes deniq; cæteri testes, qui pertinaciter Tillii causam confirmabant. Tandem ipsa Rolsia in medium adducitur, quæ simul atque in recentem oculos coniecit, obortis lachrymis tota tremēs instar folii vëto agitati vultu madente eum amplexura accurrit, errati veniã petēs, in quod impudentem se Tilli versutiã, calliditate atq; imposturã circumventã incidisse confitetur, culpam potissimum in ipsius Martini sorores conjiciens, quæ nimiã facilitate sibi persvaserant & affirmarant reum esse ipsum suum fratrem. Cum alioqui cupiditate incredibile teneretur recuperandi mariti, itaque hæc omnia concurrisse quibus facile adductam fuisse, ut eum admitteret, eo magis, quod multa arcana indicia prodebat. Verum cum primum fraudē deprehendere capit centies mortem optasse, atq; adeo sibi eam illaturã fuisse, nisi Dei metus prohibuisset. Quocirca se tam indignè cū delusam animadverteret castitatis opinione excidisse, litem proditoris huic intendisse, ut capite à Prætorè Regiense damnatus sit, ut mortui cadaver in quatuor partes disseccaretur. Neque in eo se constitisse, sed postquam ille ad Senatum Tolosanum provocavit, se à Patribus supplicem petisse, ut sibi eo venire (provocatione enim rei se impediri in loco exiret) & de injuria accepta conqueri hominem persequi liceret. Hic vero operæ prætiū est gestum hujus recentis Gverræ narrare. Is cum soror ad agnitionem lachrymas contineri non posset, tamen ad uxoris ejulatum & summos gemitus, nullum unquam commiserantis animi signum dedit: imo vultu quodam austero, tanquam vix il-

lam


Iam intueri dignaretur, mitte, inquit, istas lachrymas, quibus nec possum nec debeo commoveri. Nec excusationem excipio, cum sorores & patrum ob- tendis. Neque enim Pater, Mater, patruus, sorores, notio- rem debent habere filium, nepotem, fratrem, quam uxor maritum. Itaque domesticarum turbarum totius præter te nemo culpam sustinere debet. Ibi cum Iudices Rolsiam tum purgare conantur, verum omnia frustra: neque enim primo illo congressu ejus animus mitigare aut ab insita austeritate deduci potuit. Ita Tillii dolus planè patefactus & recens iste agnitus omnium consensu agnitus verus Martinus Gverra admittitur, causa quoque suis omnibus numeris instructa, & expedita, iudicium sententiam requirebat. Quapropter curia magna & gravi deliberatione omnibus expensis, Arrestum in hæc verba edidit.

105. *Arrestum Senatus Tolosani.*

Viso processu habito, coram Præatore Regiensi contra Arnaldum Tillium cognomento Panseta, se pro Martino Gverra gerentem, nunc in custodia Palatina detentum, ab ipso Præatore provocantem, sententia Amplissimi Senatus est causæ totius acta, omnia una cum ipsa rei provocatione annullanda esse. Ad debitum porro supplicium, quo expietur impostura, crimine falsi nominis & personæ suppositio, adulterium, raptus, sacrilegium, plagium, furtum, cæteraque crimina ab ipso Tillio reo incarcerato commissa, quæ omnia ex ipso processu resultant, Senatus hominem hac ignominiosa multa damnavit, atque etiamnum damnat, ut ad fores Eccl. Artigatensis genibus flexis indusio tectus, capite aperto, pedibus nudis, restis collo innexa, tædâ cereâ accensâ in manibus tenens, veniam à Deo, Rege, Partibus Marti-

no

no Gverra & Bertranda Rolfia conjugibus petat. Deinde carnifici in manus traditus, ab eo per plateas & compita Artigati circumductus, resti collo revinctus ante ipsius Martini ædes adducatur, ibique patibulo, quod ejus rei gratia erectum fuerit, stranguletur: Postremo cadaver comburatur. Censuit insuper Senatus certis causis ad id adductus, ut bona ipsius Tillii filia (quam ille ex Rolfia impie Gverrae nomen & personam suppositam connubit prætextu decepta suscepit) edicto possidenda tradantur: sic tamen, ut litis impensæ prius detrahantur. Porro Martinum, Rolfiam, Petrum Martini patrum curia, foro & lite eximit. Tillium denique reum ad Prætorem Regiensem remittit, cui executionem rei judicatæ forma & verborum ordine præscripta faciendam mandat ac committit.



In-



Index Historiarum

*In hoc libro contentarum: ubi num.
non ordinem pag. sed seriem Histo-
riar. denotat.*

A.

A Berrantes Deum quandoque mira-
culose servare, atque ex periculo
liberare. 45

Ad amicos & notos potius, quam
ad cauponem divertendum: Nec
somnia quævis in itinere esse
contemnenda. 1

Amicos pristinos licet ii pauperes fuerint, non es-
se contemnendos. 60

Arcana domestica Sodalibus non esse concreden-
da & præsertim in locis peregrinis. 104

Arrestum Senatus Tolosani. 105

Artem arte deludendam esse. 36

Afinos vel equos nimis non esse onerandos. 51

Aurigas non omnes revera esse, qui se pro auri-
gis venditant. 46

B.

Bestiis opem nostram implorantibus, succurren-
rendum, quo promptius illæ & nos, necessitate

L.II.P.P.

Ff

ex-

etat.
pla-
collo
r, i-
fue-
atur.
ddu-
Rol-
itam
offi-
orius
rum
Til-
re-

&

n-

exigenté, defendant.

C.

- Carnem Leporinam** in hospitiiis Italicis esse cavendam 62
- Caupones infidos & perfidos Deum punire.** 87
- Cautelis sanis obtemperandum.** 102
- Cibos in diversorio ad palatum non satis præparatos, quandoque tolerandos esse.** 4
- Cibos in convivio morate esse sumendos.** 28
- Circumspectio in hospitiiis adhibenda, ratioque vitæ suæ habenda.** 9
- Cœnam frugalem quandoque boni consulendam esse.** 79
- Colloquia impia in tinere non esse instituenda.** 94
- Comite cum ignoto atque tantum unico per Sylvas & loca suspecta non esse peregrinandum.** 69
- Comitum rusticitatem & ruditatem patienti animo, quandoque ferendam.** 16
- Commodis à præsentibus quosdam, quibus ob inscitiam uti nesciverunt, nonnunquam excidere.** 56
- Consilia parentum non esse negligenda.** 12
- Convivium.**
- Ad convivium modestè accedendum, modeste in eo se gerendum modeste ab eo recedendum.** 40
- In conviviis adornandis cuiusvis terræ mos peculiaris.** 35
- Corpus contra aëris temperiem atq; famem muniendum.** 77
- Cubile mundum esse eligendum.** 80

Cui-

INDEX.

128

Cuius non facile credendum. 64
 Cum comitibus non facile certandum esse. 22

D.

Dandam esse operam ne mors nos imparatos
 obruat. 90
 Deus homicidia nonnunquam mirabiliter patefa-
 cit. 13
 Deus hospites inhumanos debita pœna afficere
 solet. 8
 Deum per Angelos quandoque pios in via peri-
 clitantes merabiliter tueri. 98 99
 Deum quandoque mirabiliter quosdam à pericu-
 lo liberare. 57 58
 Deum quandoque suos mirabiliter è servitute &
 miseria liberare. 76
 Discursus in Diversorio tales esse instituendos,
 qui tam herum quam reliquos hospites oble-
 dent simulque narratori benevolentiam con-
 ciliant. 70
 Domum ex peregrinatione reversos constitutio-
 nes sanas Reip. & Ecclesiæ debere potius com-
 mendare quam carpere. 29

E.

Ebrietatem esse fugiendam. 89
 Equi curam & interdium & noctu sedulo haben-
 dam. 47
 Equos vel asinos nimis non esse onerandos. 51
 Erasmi Roterodami de peregrinatione periculosa. 83
 Eruditionem esse viaticum omnium firmissimum,
 nec naufragio, nec incendio, nec belli vastatio-
 ni, nec furto, nec rapinæ obnoxium. 33

Ff 2

Exc-

Execrationibus non utendum, 93

F.

Familiaribus & sodalibus arcana domestica non esse concredenda & praesertim in peregrinis locis. 104

Felicitatis non participes, neque in calamitatibus firmos esse amicos. 92

Filiis Magnatum & Principum linguam Latinam esse omnino necessariam. 45

Filias hospitem vel famulas impudice non esse violandas. 100

Fluminibus placidis sese non credendum. 54

Frugalitatem & inhospitalitatem aequo animo esse perferendam. 78

H.

Heri, Herave fidem prius explorandam, quam pecuniam illi credendam esse. 75

Homicidia Deum quandoque mirabiliter patefacere. 13

Homicidia non manere occulta. 96

Homines quandoque primo intuitu terribiles, postea nullius esse pretii. 93

Hospites inhumanos Deus debita poena afficere solet. 8

Hospitem beneficum benefice esse remunerandum. 85

Hospitas iniquas, inique esse remunerandas. 84

Hospitio non excipiendos esse impios. 96

Hospitem filias vel famulas non esse impudice violandas. 100

I.

Iactantiam vanam esse fugiendam, 20 48

Ignor-

93	Ignotarum rerum peritiam non esse sibi attribuendam.	92
	Impios, impudicos non esse excipiendos hospitio.	96
	Ingurgitationem in hospicio esse cavendam.	11
	Inhospitalitatem & frugalitatem æquo animo esse perferendam.	78
	Inimicos insultantes ad fortiores astu mittendos esse.	91
	Insinuandum sese viris magnis vel invitis.	3
	In vili veste, nullus tractatur honeste.	26
	Iter maritimum esse periculosissimum.	18
	Itinerum pericula ultra modum non esse pertimescenda.	17
	Iter noctu non ingrediendum.	95

L.

	Latrones quandoque mirabiliter in pœnas justas incidere.	63
	Cum Latronibus caute esse agendum.	61
	Latronum è manibus quomodo evadere possimus.	83
	Lautitias aliis propositas, jocosè potius, quam importune esse appetendos.	71
	Lente esse festinandum.	67
	Libertatem in alieno solo nimiam sibi non esse sumendam.	44
	Linguam Latinam ubivis esse necessariam.	44
	Linguam Latinam filiis Magnatum & principum omnino esse necessariam,	45
	Literas commendatorias, non semper, nec apud quosvis esse necessarias.	10
	Loca in quibus peccata impune grassantur vitanda, nec in iis diu persistendum.	5
	Loca natalitia virorum magnorum curiose investi-	sti-

stiganda, observanda, magnificianda. 6
 Loca periculosa non temore esse petenda. 103

M.

Malis suis multos non moveri si prius hostium
 adversitates viderint. 55
 Malos quandoq; colendos esse nenoceant. 31
 Manum operi adhibendam esse. 53
 Mendacem oportet esse memorem. 21
 Mendicos quosvis non esse negligendos sed poti-
 us juvandos. 68
 Mentem hominis non semper ex cultu externo es-
 se metiendam, sed potius ex conversatione. 65
 Minis quorumvis non facile cedendum. 14
 Modestiam in verbis & factis apud magnos viros
 esse adhibendam. 23
 Mors ne imparatos nos obruat, dandum esse ope-
 ram. 90
 Musitantes potius cavendos quam clamitrosos ho-
 mines nec placidis fluminibus se credendum. 54

N.

Noctu iter non ingrediendum. 95
 Nomen ingruente periculo non occultandum. 102

O.

Obtemperandum cautelis sanis. 102
 Obviantes non esse verbis importunis adoriendos
 41
 Operi manum adhibendam esse. 53

P.

Palatum esse assuefaciendum, ad varia edulia. 34.
 Peregrinos debere esse officiosos in hospitio. 86
 Periculo ingruente nomen non occultandum. 102
 Peritiam rerum ignotarum non esse sibi attribu-
 endam. p. 92

Per-

INDEX.

125

- 6
103
n
55
31
53
21
oti-
68
o ef-
65
14
viros
23
ope-
90
ho-
1. 54
95
102
102
dos
41
53
34.
86
102
bu-
92
er-
- Persecutores astu praveniendos. 97
 Pios in via periclitantes Deum, per Angelos mira-
 biliter tueri. 98. 99
 Poculis ad ambas usq; aures viatores sese non de-
 bere implere. 30
 Præmonitiones hominum etiam simplicum non
 esse contemnendas. 101
 Profectiones vanas non esse suscipiendas. 59
 Prudentem non decere, vitia corporis alteri objice-
 re. 73

Q.

- Quosdam à præsentibus commodis, quibus ob in-
 scitiam uti nesciverunt, nonnunquam excidere. 56

R.

- Rudes patienti animo esse tolerandos. 50
 Rusticitas comitum quandoq; ferenda. 16

S.

- Scurras non hospitio esse excipiendos. 96
 Sicariorum quomodo machinas eludere possimus. 83
 Socios inconstantes esse vitandos. 52
 Sodales quandoque decipi à suis specie rect. 38
 Superioribus vià cedendum eosq; honorifice salu-
 tand. 15
 Supplicio affectos non esse ludibrio habendos. 42
 Sylvas ignotas & periculosas non nisi cum comiti-
 bus sufficientibus transeundas esse. 81. 82. nec
 cum ignotis aut unico. 69
 In Sylvis non temere viatorem sese debere sejun-
 gere à comitibus præsertim ingruente vespera: 88

T.


- Tabellarios stupidos non esse usurpandos. 24
 Tem-


- Tempestatibus non esse imprecandum. 94
 Tempia sedulo inprofectionibus esse frequen-
 tanda. 25
 Tempus in Gymnasiis & Academiis non frustra
 terendum esse. 39
 Terræ cuius suum peculiarem morem esse in ad-
 ornandis conviviiis. 35
 Triumphum non esse canendum ante victoriã. 37
- V.
- Vestem onerosam potius aliis fidis comitibus con-
 credendam, quam ut quispiam seipsum nimis
 ea oneret & defatiget. 32
 Vestes esse imitandas atq; gerendas pro loci in
 quo vivitur consuetudine. 66
 Viaticum absq; jactantia petendum esse. 72
 Viarum non tantum ingressum sed & reditum ef-
 se sedulo perpendendum. 19
 Viatores ad ambas usque aures non debere sese
 poculis implere. 30
 Viator circa vesperum nõ debet se temere à comi-
 tibus in Sylvis sejungere. 88
 Viros claros esse adeundos, compellendosq;. 27
 Virorum magnorum loca Natalitia curiose inve-
 stiganda, observanda, magnificianda. 6
 Viros magnos decet hospites suos atque peregri-
 nos magnifice excipere & remunerari. 2
 Viris præclaris vel invitis sese tempestive insinu-
 andum. 3
 Vitia corporis alteri objicere prudentem non de-
 cet. 73
 Vota esse servanda nec Deum esse illudendum. 49
 Vota possibile esse instituenda. 74

F I N I S.

94
n-
25
stra
39
ad-
35
37

on-
mis
32
in
66
72
ef-
19
ese
30
mi-
88
27
ve-
6
ri-
2
nu-
3
de-
73
49
74





BIB

LI

DA

DAV


S



Yng II 221

~~Wort~~

Yng II





BIBLIOTHECÆ SIVE CYNOSU-
RÆ PEREGRINANTIVM, 2

hoc est,
VIATORIJ
LIBER SECUNDUS,

Partis Posterioris:

complectens

**HISTORIOGRA-
PHIAM APODEMICAM,**

lectu jucundissimam, usu fructuo-
sissimam.

*In gratiam Peregrinantium
conscripserunt*

à

DAVIDE FROELICHIO,
Sac. Cæs. Rq; Majest. per Regnum
Hungariæ Mathematico.

✠

V L M Æ,

Impensis VVOLFGANGI ENDTERI,
*Exscripsit literis BALTHASAR Kupner
Reipubl. ibid. Typographus.*

ANNO M. DC. XXXIV.

